NICOLAI VAN DER HOOCH ... SINGULARIA IURIS, EX...

Nicolai Van der Hooch,
Giovanni Battista Coccini

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
4 A
7

NICOLAI
VANDER HOOCH
SIVE AB ALTO,
Albuini, I. V. Doctoris & in sacro
Mechliniensi Concilio
Aduocati,

SINGVLARIA IVRIS,

Ex celeberrimorum Iureconsultorum & inprimis recentium practicorum scriptione deprompta. Nunc primùm typis excusa.

ANTVERPIÆ,
Apud GVILIELMVM A TONGRIS,
Sub Signo Gryphi.

CIↃ. IↃC. XXI.

Reuerendiſſimo ac Illuſtriſſimo

PRÆSVLI,

D. IACOBO BOONEN

EPISCOPO GANDAVENSI

ET

Archiepiſcopo Mechlinienſi Deſignato.

NTER plurimorum congratulantium voces, quibus debita virtutibus tuis ad ampliſſimam dignitatem promotio grata eſt, Magne Præſul, alienum me ab humanitate dici poſſe ſum arbitratus, ſi non & ipſe mei erga te affectus cultuſque aliquod documentum exhiberē. Itaque hoc ſcripto etiam atque etiam tibi gratulor, cum humili quoque *Singularium* horum *enunciatorum*, ex latiſſimo & amœniſſimo Iuriſprudentię campo à me decerptorum, oblatione. Vt nimirum de meâ ergà te

voluntate & obſeruantiâ, etiam euidentiori aliquo monimento, & publicè poſſit conſtare. Quod ipſum, tum à me ciuitas Mechlinienſis, cuius Eccleſiaſticæ ditionis Archiepiſcopali moderamini deſignatus es, & in cuius ſolo hæc ſcriptio ortum originemq́; traxit, efflagitare videbatur: Tum ſumma prætereà tua in me humanitas, benignitas, beneficentiaq́ue exigebant. Suſcipere ergo dignaberis, Pietatis ac Iuſtitiæ amantiſſime Præſul, voluntatem hanc meam & primum ingenij conatum, benignâ frōte. Quo facto, ego tempus huic ſtudio & operę impenſum, optimè collocatum fuiſſe exiſtimabo, meq́ue ad maiora aliquando tentandum inflammaueris. Vale R.me ac Ill.me Domine multos in annos, ad Reipub. Chriſtianæ, & inprimis Belgicæ huius noſtræ, multum bonum. Mechliniæ ipſis Kal. Aug. 1620.

OR-

ORDINI AMPLISSIMO MAGNI SACRIQVE BELGICÆ SENATVS,

NICOLAVS VANDER HOOCH,
SIVE AB ALTO, ALBVINVS,
S. P. D.

Vemadmodum nauigantes, Viri Amplißimi atque Clarißimi, multis ventorum & aquarum periculis, variisque fortunis subiacent; eodem planè modo hoc nostro æuo accidere videmus, vt publico bono quid scribentes, variis humanarũ voluntatum ac iudiciorum motibus expositi habeantur. Sic enim siue naturæ vitio & prauitate, siue hominum potius iniquitate comparatum est, vt non tam alij alios virtute & doctrinâ studeant antecellere, quàm alienos labores maligniori dente admordere. Quare in publicum emittens hasce studiorum meorum primitias, & insigniora Iuris vtriusque Scriptorum dicta, existimaui ea vestræ authoritatis præsidio ac defensioni etiam commendanda esse.

da esse. Nam cùm in sacro vestro collegio, tot sint viri doctrinâ multarumque rerum vsu insignes, sitque vester sanctissimus ordo iam multo abhinc tempore apud exteros etiam Principes & nationes celeberrimus, in quo floret syncera pietas, inculpatum iudicium, incorrupta veritas, legum summa scientia atque obseruantia: nemo (opinor) quod vestrâ censurâ & iudicio approbatum fuerit, temerariis obloquiis existimauerit violandum. Itaque pro eximio vestro candore & humanitate, Viri Amplissimi atque Clarissimi, tenues hasce meas & exiguas primitias beneuolè exceptas, benignè porrò tueri ne dedignemini. Ita quæso Deus Opt. Max. æquissimos vestros labores ad Iustitiæ promotionem quàm felicissimè secundet, vosque diutissimè florentissimos conseruet. Mechliniæ ipsis Kal. Aug. 1620.

AD

AD CANDIDVM ET beneuolum Lectorem ſuper inſcriptione huius tractatus breuis præmonitio.

VISVM fuit in limine huius tractatus, candide atque beneuole Lector, cui SINGVLARIVM IVRIS titulum dedimus, breuiter eiuſdẽ tituli & noſtri ſimul propoſiti atque inſtituti rationem exponere. Nimirum iſtâ voce SINGVLARIVM nos vti, veluti antiquos & famoſos ſcriptores eâ vſos fuiſſe conſtat, ad denotandũ aliquarum rerum eximiarum & inſigniorum traditionem; ſic vt dum hunc tractatum ita inſcribimus, intelligamur tradere res notatu & ſpeciali animaduerſione digniores. In quo ſcribendi genere, nunc preſſiùs ſtylum retinere, nunc largiùs & vberiùs diffundere placuit, vel decoris ergò, vel quod rei ſiue materiæ ſubiectæ vtilis cõditio id ſuadere videbatur. Certè ſub vnius SINGVLARIS capite, nonnunquam plura SINGVLARIA, id eſt, præclara & me-

morabilia dicta Dd. complexi sumus, atque ad hoc enixi, vt ea quæ praxi & quotidiano vsui maximè commoda & conuenientia essent, scriberemus. Neque enim nobis animus fuit, ea quæ omninò à communibus iuris regulis essent deuia & exorbitantia tantum & vbique in mediũ proferre; sed etiam ea, quæ communioribus Doctorum suffragiis, & rerum iudicatarum authoritate notabiliter forẽt comprobata, quæq́ue aliàs multæ disputationi & altercationi essent obnoxia, vel quæ communiter à practicantibus non adeò animaduerti solent, scriptis mandare. Denique vocem illam SINGVLARIVM IVRIS sumpsimus, pro iuridicis traditionibus & doctrinis clarissimorum Doctorum & practicorum vel raris, vel excellentioribus, sciẽtiâ & memoriâ maximè dignis. Tui candoris & boni adfectus erit, qualescunque nostros conatus benignè interpretari, & hoc quod ad intentionis nostræ explicationem breui sermone delibamus, boni consulere.

Cla

Clarissimo ac Consultissimo Domino, D. NICOLAO VANDER HOOCH, Stephanus Weyms I. V. Doctor, & in Academiâ Louaniensi antecessor primarius S. P. D.

Egi atque relegi Clarissime ac consultissime Domine, collectaneum SINGVLARIVM traditionum, quod mihi D. T. communicauit, quodque omninò non potuit non summoperè mihi placere atque probari. Nempe ex vasto illo iuris nostri Oceano, exque immẽsis illius voluminibus, solet plerunque recurrere aliquid, quod SINGVLARITER à præclaris ingenius vel dictum vel scriptum SINGVLARI notâ dignum est, & ad vsum quotidianum deduci meretur. Sanè D. T. industriam suam in colligendis istis SINGVLARIBVS valdè probauit, quæ ab Authoris sui cognomine verè Altum sapiunt, & insigniori laude sunt condecoranda. Multa enim continent ex probatissimis Iureconsultorum commentariis ac responsis solerter deprompta, quæ ad vsum quotidianum plurimum congruè & cum multo honore applicari possunt. Quapropter non possum non consultor & author esse, vt prædictum tractatum D. T. in lucẽ emittat. Credens præclara huiusmodi ἀποφθέγματα *iuris, seu Doctorum memorabilia dicta, nedum Iurisprudentiæ studiosis, ac forensium causarum Patro-*

nis,

nis, ſed & publicis legum Profeſſoribus fore & multùm commoda & vtilia. Credens inſuper ſtudium eiuſmodi, ad laudem ac commendationem nominis eſſe honeſtiſſimum; cùm inter mortales nihil tam ſit laudabile, quàm priuatam operam in publicam communemque hominum vtilitatem conferre. Sanè ſi hæc per D. T. diligenter ſelecta SINGVLARIA coniungentur aliquando (quod vtique merentur) aliis illis triginta quinque diuerſorum authorum SINGVLARIBVS, quæ pridem vnico volumine laudabiliter coniunxit ampliſſimus vir D. Gabriel Sarayna Iureconſultus Veronenſis, non tantum illis augmentum, ſed lucem etiam atque ſplendorem erunt allatura. Cùm nimirum ex illis ſcriptoribus, aliquos meo iudicio æquarit D. T. nonnullos & poſitionum numero, & curioſiori SINGVLARIVM enunciatorum deſignatione, ſuperauerit. Pergat igitur D. T. quando ocium feret, ſic proficere omnibus, & ad veræ virtutis faſtigium tendere. Sic ſibi laudem, Patriæ gloriam, Reipublicæque multam vtilitatem comparabit. Oro Deum Opt. Max. vt bonos iſtos conatus diuinâ ſuâ gratiâ ſecundet. Louanij vltima Octobris. 1619.

Hen-

Henricus Zoesius I. V. D. & in alma Louaniensi Academia professor ordinarius ad Autorem.

CLarissime Hoochi, vt obsequar voto tuo
Pro more dicam candidè (at verè tamen)
Quid iudicem de SINGVLARIVM libro,
Qui te parante publicam lucem videt :
Et tu, tuusque SINGVLARIS est liber,
Doctoque doctus similis est fœtus patri,
Perrara scitu continens dignissima.
Dignus perindè manibus omnium teri
Audire si qui Iureconsulti volent.

Ad Autorem Guilielmi A Wou I. C.ti & in magno Mechliniensi Concilio causarum patroni, Carmen.

Anagramma.

NICOLAVS VANDER HOOCH,
SVDA, LVCE : AN HOC HONORI?

CVm tua sint cedro dignissima scripta vigenti,
Grataque posteritas quæ numerosa legat,
Fac ea quàm primum veniant in luminis oram
Vander Hogi, clarum conspiciantque diem.
SVDA adeò & LVCE : AN magno HOC tibi non sit HONORI

Quod

Quod tua si vulges, fama perennis erit?
Scilicet hac viuit Baldus ratione modoque,
Et gemini reserans Imola iuris opes.
Bartolus hinc clarus, hinc doctus viuit Iason,
Inque illos nec mors quid fera iuris habet.
Tu quoque, si vatum quidquam præsagia possunt,
(Quorum sunt sacro pectora plena Deo)
Viues, ac iuris magnis æquabere mystis:
Viuet & ingenio Belgica terra tuo.

ALIVD.

Cùm tu rara legas, sis rarè doctus, in isto
Quæ scribis, meritò sunt quoque rara libro.

Ad eundem Autorem Martini Tromperts I. C.ti & in Mechliniensi Parlamento Aduocati.

CEnturiata Patres comitia cogere docti
Romulidæ, dextramq. poli, partemque sinistram
Ætheris, & medios oculo censore recessus
Lustrabant trepidi; faustúmne applauderet omen
Infaustásue faces contrà vibraret ab alto
Iuppiter, & positas motura tonitrua sedes,
Belláue discordi pugnarent agmine fratres
Æolijs exciti antris claustrisque profundis,
Pullato Phaëtonta peplo, cycloque tegentes.
Multimodis distincta notis Comitia cerno,

Cen-

Centuriam Nicolae tuam, quam docta celebrant
Thaumata Iuridicûm paßim, quam regula legum
Iustitiæ & gnomon, obrizaq; linea Diuæ
Astrigenæ fausto consignauere sigillo.
At quibus auspiciis? ALTO quod ab æthere Numen
Annuit incœptis? memorem? Themis aurea docto
Has calamo cumulauit opes; tibi cernere rerum
Abdita multa dedit, populiq; emergere turbâ,
Et latices haurire sacros, & mente sagaci
Condere doctrinæ non illaudabile munus.
Hinc tibi fas varios legum depromere sensus
Ingenij flnitante bono, rarasque notare
Doctorum voces. Hinc fas tibi tradere chartis
Si quid Iuridicûm pulchri dixere coronæ.
Scilicet vt vasti flammantia mœnia mundi
Auricomus lustrat Titan, radijsq; corusca
Lumina prætendit terris, sic mentibus almum
Admouit Doctrina iubar, noctemq; malignam
Depulit, ac nigra tristes caligine nubes.
Tu quoque patricij seruans vestigia cœtus,
VANDER HOOCH iter ingenuũ moliris & ALTOS
Exerces monitus Patrum, non omine læuo.
Macte animo studijsq; potens. Laudabile tandem
Hoc adeò decurrat opus; quæ semina in ALTO
Pectore sparsa iacent longam culpantia noctem
Fac spectare diem. Non vilis gloria tantis
Deseruire bonis, famamq; extendere scriptis
Non minimum virtutis opus. Libitina pararit
Emeritis quamuis canis bustumque rogumque,
Emerito

Emerito sed dia Themis calamoque styloque
Ἀτάνατόν τε κλέος, *vitamque datura perennem est.*

Ad eundum Francisci Schelckens, I. V. L. & in supremo Mechliniensi Senatu causarum itidem patroni, Carmen.

VEteres quod olim censuere, & quod modo
IVRIS Moderni INTERPRETES clarissimi
Dignissimum vel singulari calculo,
Hoc singulari SINGVLARIVM libro
Dat VANDER-HOOCHIVS. Sit hic sacer tibi
Dia Themis & labor & liber. Nam non secus
Tuus ille mysta in Diptherâ notat suâ
Ciuilis & IVRIS sacri celebria
Responsa PRVDENTVM, supremo in æthere
Quam signat actus Iuppiter mortalium
Vellere in Amalthea. Decus quin gratuler
Hoc illi AB ALTO? vos fauete FAMA, HONOR,
Sic pergat altos æmularier vt Deos,
Æternitati consecrans NOMEN stylo,
Rei bonoque publico MENTEM BONAM.

ALIVD.

Iuris ab Oceano sunt qui conchilia portant,
Alij lapillos, quin & aurum colligunt:
Ast alij gemmas. His postulat annumerari
Te VANDER-HOOCHI Iureconsultum Themis,
Littore cui vasto studium perquirere gemmas,
PRVDENTIVM RESPONSA SINGVLARIA:

INDEX

INDEX TITVLORVM SEQVENTIVM SINGVLARIVM.

non tenebitur, an re euictâ pretium saltem rei debeatur.

SINGVLARE X.

Quis pro re feudali homagium præstare, & iura dominicalia soluere teneatur, proprietarius an vsufructuarius.

SINGVLARE XI.

Diuersus alienationis expressè per testatorem prohibitæ, & fideicommissi simpliciter relicti, effectus.

SINGVLARE XII.

An filius patre viuente liberans eius debitores, dictæ liberationi stare teneatur.

SINGVLARE XIII.

De duplicitate vinculorum attendenda vel non in materiâ successionis ab intestato, & successione fratrum ab vno latere coniunctorum.

SINGVLARE XIV.

Confinium lucis & tenebrarum.

SINGVLARE XV.

Simonia.

SINGVLARE XVI.

De nepote naturali & spurio ab auo paterno alendis.

SINGVLARE XVII.

Cùm agitur in materiâ l.2. C. de rescind. vendit. & emptor mauult iustum precium supplere, quàm rem putà feudalem venditori cedere, alienato lite pendente dominio directo, quæritur num dominicalia iura talis supplementi anteriori, an verò nouo domino sint exsoluenda?

SIN-

SINGVLARE XVIII.

Testi, vasallo, procuratori, aduersario litigatori à latronibus captis, an à producente, domino, vel parte damnum sit reficiendum.

SINGVLARE XIX.

De obligatione mandatoris ex mandatarij delicto.

SINGVLARE XX.

De debitore, qui non soluendo existens, vni ex creditoribus satisfecit.

SINGVLARE XXI.

De curruum duorum concursu inter viarum angusta, & quem retrocedere oporteat.

SINGVLARE XXII.

De actione hypothecariâ legatarijs pro legato, & creditoribus hæreditarijs pro suo credito competente, & hæredum obligatione.

SINGVLARE XXIII.

Pœna exilij legem non seruantis.

SINGVLARE XXIV.

An legatum annui reditus valeat, si illum debitor viuo testatore redemerit, & ex sorte precij inde redacti, testator alium emerit.

SINGVLARE XXV.

De quartâ vxori inopi in bonis defuncti mariti competente.

SINGVLARE XXVI.

Si legalis vel statutaria pœna in delinquente locum habere non possit, quid iudici statuendum.

SINGVLARE XXVII.

Patronis diuersos ad vacans beneficium præsentantibus, quid iuris?

SINGVLARE XXVIII.
De clerico laici hærede conueniendo.
SINGVLARE XXIX.
Brauium.
SINGVLARE XXX.
An quilibet iudex pœnam à l. vel ſtatuto delinquentibus præfixam minuere poſſit, vel inflictam per ſententiam ſuam mutare?
SINGVLARE XXXI.
Moribundi confeſſio.
SINGVLARE XXXII.
Quòd incertitudo inficiat & perimat diſpoſitionem.
SINGVLARE XXXIII.
De denunciatione litis motæ in caſu euictionis rei venditori facienda.
SINGVLARE XXXIV.
Compenſatio.
SINGVLARE XXXV.
Debitorem ſpeciei & quantitatis eodem tempore omnia ſoluere.
SINGVLARE XXXVI.
De interpretatione legati cõſanguineis relicti.
SINGVLARE XXXVII.
De eo qui aliena negocia geſſit eo inuito.
SINGVLARE XXXVIII.
De fabro ſtudia Doctorum & ſcholarium ſuo ſtrepitu offendente.
SINGVLARE XXXIX.
Pignus alienatum cum conſenſu creditoris & recidens in debitoris poteſtatem.
SINGVLARE XL.
Fides inſtrumenti notarialis.

SIN-

SINGVLARE XLI.

Officialis.

SINGVLARE XLII.

De eo quod fieri consueuit.

SINGVLARE XLIII.

Dispositionem generalibus verbis conceptam ad suam vel suorum lesionem non referri.

SINGVLARE XLIV.

Textus in l. qui ducenta. ff. de rebus dub.

SINGVLARE XLV.

An restituatur in integrum minor 25. annis, qui ex statuto pro maiore habetur.

SINGVLARE XLVI.

Num emptor annui reditus sortem repetere possit.

SINGVLARE XLVII.

Mandatum morte mandantis extingui; eius axiomatis notabiles traduntur fallentiæ complures.

SINGVLARE XLVIII.

Generalitatem orationis, ad ea quæ specificè expressa sunt, non pertinere.

SINGVLARE XLIX.

Depositum.

SINGVLARE L.

Testis referens se in examinatione ad anteriorem suam depositionem non solennem.

SINGVLARE LI.

An debitor inuito creditori alium fideiussorem magis locupletem constituere, quàm primo dedit; & fideiussore facultatibus lapso, an creditor debitorem possit compellere, vt alium in eius locum substituat.

SINGVLARE LII.
De tacitâ iuris ſui remiſſione.
SINGVLARE LIII.
De viduâ luxurioſè & inhoneſtè viuente.
SINGVLARE LIV.
An tertio abſente arbitri laudum proferre poſſint.
SINGVLARE LV.
Principium actus inſpici debere, non quod exinde ſecutum eſt.
SINGVLARE LVI.
Quatenus minorem 25. annis oporteat res in priſtinum ſtatum reponere, vt effectum reſtitutionis in integrum conſequatur aduerſus factam permutationem.
SINGVLARE LVII.
De alienatione rei fideicommiſſo ſubiectæ.
SINGVLARE LVIII.
Quod fœtus animalis lactans idem cum genitrice cenſeatur.
SINGVLARE LIX.
De meretrice condemnatum ad mortem in coniugem petente.
SINGVLARE LX.
Bonam perſonæ conditionem & qualitates attendi.
SINGVLARE LXI.
Vilitatem, exilem, & malam conditionem perſonæ ſpectari.
SINGVLARE LXII.
Cautio in tranſactione adhibenda.
SINGVLARE LXIII.
Secundæ nuptiæ.

SIN-

SINGVLARE LXIV.

In bello cæsos per gloriam in æternum viuere.

SINGVLARE LXV.

Mens coniecturata testatoris.

SINGVLARE LXVI.

De vicinalis putei refectione.

SINGVLARE LXVII.

De beneficio obtento ad præsentationem eius, qui ius patronatus non habuit.

SINGVLARE LXVIII.

An fideiussor totum debitum soluens principalis debitoris, à confideiussore partem soluti recipiat.

SINGVLARE LXIX.

Quando ex solutione per triennium continuatâ, quis retrò soluisse præsumatur.

SINGVLARE LXX.

Ius accrescendi locũ habere in legato executoribus testamentariis relicto, & in eorundem officij administratione.

SINGVLARE LXXI.

De cistâ vel valisiâ apud cauponem vel alium depositâ, è qua res dicuntur esse sublatæ.

SINGVLARE LXXII.

Adulterio à muliere commisso, non semper dotem amitti.

SINGVLARE LXXIII.

An res in commissum cadens durante vsufructu, proprietarij an verò vsufructuarij lucro cedat.

SINGVLARE LXXIV.

De iudicum competentiâ ad delictum puniendum.

SINGVLARE LXXV.

Iuramentum forum foro accumulare.

SINGVLARE LXXVI.

De pœnitentiâ.

SINGVLARE LXXVII.

Quomodo intereſſe ob homicidium perpetratum, vel mutilationem factam, à iudice ſit æſtimandum.

SINGVLARE LXXVIII.

In caſu reſciſſorio diuiſionis ex remedio l. 2. C. de reſcind. vendit. reus conuentus in pecuniâ ſupplere non poteſt.

SINGVLARE LXXIX.

Pœnam per ſententiam delinquenti inflictam ei deberi, qui iuriſdictionis fructum habet tempore condemnationis, non criminis commiſſi.

SINGVLARE LXXX.

Donationem lucri ſtatutarij inter virum & vxorem ſubſiſtere.

SINGVLARE LXXXI.

Legatum factum parochiali Eccleſiæ, cui Eccleſiæ debeatur, ſi domicilium teſtator mutauerit.

SINGVLARE LXXXII.

De duplici prohibitione alienandi, legis ſcilicet & hominis, concurrente.

SINGVLARE LXXXIII.

Quod habens facultatem eligendi officialem, & iurans meliorem ſe electurum, ſe non poſſit eligere.

SIN-

SINGVLARE LXXXIV.

Onera hæreditaria pro portionibus hæreditariis præstari, non pro lucro quod peruenit ad hæredes.

SINGVLARE LXXXV.

Cùm præambula delicta tendunt ad eundem finem, solum puniri finale delictum consummatum.

SINGVLARE LXXXVI.

In quibus cessio bonorum locum non habeat.

SINGVLARE LXXXVII.

De necessariâ sui defensione.

SINGVLARE LXXXVIII.

Repræsentationis iuris insignis fallentia in casu factæ substitutionis.

SINGVLARE LXXXIX.

De fideiussore emente rem obligatam in eandem causam, in quam ipse intercessit.

SINGVLARE XC.

De debitore fugitiuo aut de fugâ suspecto.

SINGVLARE XCI.

Bona maiorum.

SINGVLARE XCII.

Non liberari debitorem, qui debitam à se pecuniam per famulum suum, quamuis bonæ existimationis existentem creditori misit, si cum pecuniâ famulus aufugit.

SINGVLARE XCIII.

Non temerè iuramẽtum exigendum vel deferendum esse.

SINGVLARE XCIV.

Fedeiussor tutelæ non præstat damnum, quod ob inimicitias cum tutore gestas pupillo contigit.

SINGVLARE XCV.

Legatario an liceat in electione rerum legatarum variare.

SINGVLARE XCVI.

Quomodo differant venditio fructuum, qui ex fundo nascētur, & perceptionis fructuum ex fundo, itemque piscium capiendorum, & iactus retis.

SINGVLARE XCVII.

De infinito.

SINGVLARE XCVIII.

Excellens doctrina habilitat personam aliàs inhabilem ex statuto.

SINGVLARE XCIX.

Insolitum.

SINGVLARE C.

Priuilegium fœneratoribus concessum ad acquirendum res etiam furtiuas, non porrigi ad illas, quas norunt furto subtractas fuisse tempore traditionis.

NO-

NOMINA
ILLVSTRIVM AVTHORVM,
QVI IN HOC TRACTATV
allegantur, ordine alphabetico diſpoſita.

Abbas Panormitanus
Albericus de Maletis
Albericus de Roſate
Alexander de Imola
Andreas Alciatus
Andreas Gail
Andreas Tiraquellus
Angelus Aretinus
Antoninus Teſſaurus
Antonius Faber
Antonius Capycius
Antonius Gabrielius
Antonius Gomezius
Antonius Neguzantius
Archidiaconus, aliàs Guido de Bayſio, vel vt alij ſcribunt de Baſio ſiue de Buiſio Regienſis & Archidiaconus Bononienſis
Arius Pinellus
D. Auguſtinus
Auguſtinus ad Angel. de maleficijs
Aymo Crauetta
Baldus
Balthazar Ayala
Bartholomæus Brixienſis
Bartholomæus Cœpolla
Bartholomæus Chaſſanæus
Bartholomæus de Saliceto
Bartolus de Saxo Ferrato
Benedictus Vadus
Borgninus Caualcanus
Capellæ Tholoſanæ deciſiones
Carolus Ruinus
Cicero
Creſcentij deciſiones Rotæ Romanæ
Cynus Piſtorienſis
Didacus Couuaruuias
Doctor Marta
Dynus Mugellanus de Muxello
Ægidius de Bellamera
Elbertus Leoninus
Emanuel Soarez

Federicus de Senis
Felinus Sandæus
Fernandus Vasquius
Franciscus de Aret.
Franciscus Mantica
Franciscus, aliàs Ioannes Franciscus de Ripa
Franciscus Viuius
Georgius de Cabedo
Guido Papa
Henricus Boguetus
Henricus Hostiensis Cardinalis
D. Hieronymus
Hieronymus Cagnolus
Hieronymus Chuchalon
Hieronymus Magonius
Hippolytus de Marsilijs
Horatius
Iacobus Menochius
Iacobus Nouellus
Iason Maynus
Ioachimus Mynsingerus
Ioannes Andreæ
Ioannes Baiardus
Ioannes Bessianus
Ioannes Crotus
Ioannes de Arnono
Ioannes Faber
Ioannes Gallus
Ioannes Garsias
Ioannes Gutierrez
Ioannes Imbertus
Ioannes Mauricius
Ioannes Papon
Ioannes Petrus de Ferrarijs
Ioannes Schneydewinus
Ioannes Sichardus
Ioannes Wamesius
Ioannes Petrus Surdus
Iodocus Damhouderius
Iosephus Ludouici
Iosephus Mascardus
Iulius Clarus
Lanfrancus de Oriano
Leonardus Lessius
Ludouicus Charondas
Ludouicus à Peguera
Ludouicus Molina
Ludouicus Romanus
Marcus Antonius Blancus
Masuerius
Matthæus de Afflictis
Matthæus wesenbecius
Michael Grassus
Nellus de S. Geminiano
Nicolaus Boërius
Nicolaus Caluolus
Nicolaus de Passeribus
Nicolaus Euerardi
Nicolaus de Tudeschis, idem Abbas Panormitanus
Nicolaus Garcias

Octa-

Octauianus Cacheranus
Paulus de Caſtro vel Caſtrenſis
Paris de Puteo
Petrus Coſtalius
Petrus de Anchora vulgò Anchoranus
Petrus de Ferrarijs
Petrus de Moncada
Petrus Peckius
Petrus Duennas
Petrus Rebuffus
Phanucius de Phanucijs
Philippus Decius
Practica Carrerij
Pręſes Euerardi, idem qui ſuprà Nicolaus Euerardi
Renatus Choppinus
Robertus Maranta
Rochus de Curte
Rolandus à Valle
Scipio Ianuarius
Sebaſtianus Medices
Sebaſtianus Vantius
Seneca
Sfortia Oddus
Socinus
Speculator
Stephanus Aufrerius
Stephanus Gratianus
Stephanus Bertrandi
Thomas Sanchez
Thomas Triuiſianus
Tiberius Decianus
Tractatus Regularum vtriuſque iuris tam Ciuilis quàm Pontificij incerto authore
Virgilius

AP-

APPROBATIO.

Liber hic continens centum SINGVLARIA IVRIS, *nihil habet orthodoxæ fidei, aut bonis moribus contrarium, & quia in eodem plurimæ singulares, vtilesque materiæ tractantur, bono publico edi poterit. Ita censui hac 5. Decembris* 1619.

Alexander Vander Laen S.Theol. Lic. Canonicus & Archip. Mechliniensis, ac librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS ET ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brab. &c. Serenissimi Belgarum Principes, diplomate suo sanxerunt, ne quis librum cui titulus est *Singularia Iuris Nicolai Vander Hooch siue ab Alto Albuini, I. V. Doctoris & in sacro Mechliniensi Concilio Aduocati*, præter Guilielmi à Tongris voluntatem infra sexennium vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum in has inferioris Germaniæ ditiones importet venalémue habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 25. Maij. M. D. C. XX.

Signat.

STEENHVYSEN.

NICOLAI
VANDER HOOCH
SIVE
AB ALTO,
ALBVINI,
I. V. Doctoris, & in sacro Mechliniensi Concilio Aduocati,

SINGVLARIA IVRIS.

SINGVLARE I.

De iuramenti interpretatione & clausulis in eo subintellectis varia traduntur.

SVMMARIA.

Iuramentum sequitur primordialem actus naturam, non accidentalem. nu. 1.

Contractus iuratus recipit interpretationem ciuilem, & omnes tacitas condiciones, quas c[illegible]actus iniuratus. nu. 2.

Donatio mortis causa facta & iureiurando firmata, ad nutum reuocari potest. nu. 3.

Renunciatio paternæ successionis cum iuramento, ad legitimam non porrigitur. nu. 4.

Filius cum iureiurando promittens seruare dispositionem testamentariam patris, & bona immobilia non alienare ex causa dotis, vel alio quouis modo, poterit tamen id facere ad dotandum suam filiam neptem testatoris, casu eueniente quod aliunde dotari non possit. nu. 5.

Nemo carnem suam odio habere censetur. nu. 6.

Conductor vectigalium promittens cum iuramento soluere precium conuentum, siue lucrum siue damnum inde sequetur, non tenebitur si ob casum admodum insolitum ea exigere non poterit. nu. 7.

Clausula rebus sic stantibus in contractibus iuratis & iniuratis tacitè subintelligitur. nu. 8.

Sponsalia de futuro etiam iurata, ob condicionem sponsæ notabiliter deterioratam soluuntur. nu. 9.

Iurans nunquam exercere talem artem, iure exercebit si aliter sibi victum nequeat comparare. nu. 10.

Licentiatus qui iureiurando se obstrinxit, quod non nisi in loco promotionis Doctoratum suscipiet, si alibi examinetur & Licentiatus fiat, rectè quoq; ibidem poterit Doctorari. nu. 11.

Carthusianus ægrotans, vt mortis discrimen euadat, licitè carnes comedet. nu. 12.

Si quis Titiam iuret in vxorem ducere, intelligitur: modo iustam dotem conferat. nu. 13.

Clausula si res non valet vt agitur, valeat vt melius valere potest, inest iuramento. nu. 14.

Donatio iurata bonorum præsentium & futurorum, valet quoad præsentia. nu. 15.

Cum partes contrahunt omni meliori modo, vtile per inutile non viciatur. nu. 16.

Per-

Persona Superioris in omni iuramento censetur excepta. nu.17.

Vasallus iurans Domino seruare fidelitatem contra omnem hominem, non censetur iurasse contra Imperatorem. nu.18.

Imperator est quasi corporalis mundi Deus, *& tanquam terrestre Numen & stella matutina in medio nebulæ. nu. 18.*

Qui votum fecit non iurandi, tenetur iurare si ad testimonium dicendum legitimè vocetur. nu.19.

Generalis sermo firmatus iuramento non complectitur personam loquentis. nu.20.

Iuramentum habet vim clausulæ, rato manente pacto. nu.21.

PVD veteres sacrosancta semper habita fuit iurisiurandi religio. Neque enim existimabant vel publicè vel priuatim stabilius firmiusve quid agi posse, quam interposita Numinis maiestate, prout testatur *Cicero lib.3.offic.* Idemque nostro æuo piè ac religiosè seruari videmus, & tam publicarum rerum negotia, quam priuata hominum commercia, hoc quasi arctissimo vinculo stringi atque firmari. Sed tamen quemadmodum illa quę generali oratione concepta sunt specialem suam interpretationem solent recipere, ita quoque ad iuramentum simpliciter (vti plerumque fit) præstitum, suæ declarationes, intellectus & interpretationes solent adfluere, iisq; tam publici quam priuati actus informari: super quibus hoc primo nostro Singulari scribemus.

Sciendum igitur est, iuramentum sequi naturam 1

primordialem actus cui apponitur, non etiam accidentalem: vt si quis colonum non expellere iurauit, intelligitur modò pensionem cōuentam debitis temporibus soluat, modò in re locata honestè versetur. Veniunt enim hæc & similia ex natura contractus. *l. adem 3. C. locati. Ias. in l. si pecuniam nu. 23. ff. de condict. ob caus. Petrus Peckius ad c. non est obligatorium, vers. Amplia duodecimo, de reg. iur. in. 6.* &
2 intelligitur contractus iuratus iuxta terminos iuris communis, recipitque omnes tacitas conditiones, quas alioquin de iure cōtractus reciperet, non adhibito iuramento. *l. si libertus. 30. ff. de oper. liberto. c. veniens c. quanto x. de iureiuran. Guido Papa quæst. 199. nu. 3. idem quæst. 428. Hieron. Magon. decis. Florenti. 65. nu. 53. cum ibidem citatis. Anto. Faber in C. suo Fabriano, tit. de mortis causa donat. definit. 1.*

3 Hinc infero primò, Quod quemadmodum mortis causa donatio ad nutum donantis reuocari potest, ita idem iuris obtinet, quamuis dictæ donationi iuramentum adiecerit. *Anto. Faber d. definit. 1. Hieron. Magon. decis. Florenti. 64. nu. 11.*

4 Secundò infero, Si filia viuente patre, eius successioni cum iuramento renunciauit, quod talis renunciatio, ad legitimam non extenditur, vti firmat per allegationes *Michael Grassus in receptis suis sententiis §. legitima, quæst. 3. nu. 13.*

5 Tertiò infero notabilem casum: Si testator prohibuit alienari sua bona immobilia ex causa dotis, vel alio quouis modo, & filius iuratò promiserit se suosque voluntatem eius seruaturos, non debet intelligi quod antedicta prohibitio locum habeat respectu neptis testatoris & filiæ illius filij, vbi posteà superuenit casus, quod aliunde dotari non posset.

Quia

Quia non est verisimile, quod testator tali euentu suam neptem indotatam relinquere voluerit, 6
cum nemo carnem suam odio habere dicatur, & proinde confirmatio filij contrà extendi non debet, ita vnanimiter per Dominos Parlamenti Dalphinat. resolutum anno 1455. testatur *Guido Papa in suis decisionibus, quæst.96.*

Et consonat similis decisio dictorum Dominorum, cum definiuerunt filium iurantem seruare disposita in testamento patris, non intelligi detractioni legitimæ & Trebellianicæ renunciasse, sed vtriusque licitam & liberam defalcationem habere. *Guido papa quæst. 427.*

Quartò infero, Sicut conductor vectigalium promittens soluere precium vectigalis, siue lucrum siue damnum inde sequetur, non tenetur si casus admodum insolitus & rarissimè contingens euenerit, putà si rupta inter Principes pace, exactio eorum impediatur; idem erit dicendum si iuramentum in contractu interuenit, in terminis per multas allegationes habet *Io. petrus Surdus decis. Mantua.326.nu.52.* 7

Et hoc est quod dicitur, roborari quidem iuramento contractum, sed non augeri obligationem, nec ampliari dispositionem vltra contractum, nec trahi ad casus, ad quos non traheretur dispositio sine iuramento. *Francis. Viuius decis. Regni Neapol.* 522.*nu.*21.*Io. petr.Surd.tracta. de aliment. tit. 9.quæst.* 15.*in fi.*

Prætereà quemadmodum omnes promissiones & reliqui hominum actus intelliguntur rebus sic stantibus & in eodem statu permanentibus; sic etiam omnes actus iurati eundem intellectum recipiunt 8

piunt, nec ad superuenientia de nouo extenduntur. *text. in c. cum inter* p. *x. de renunciat. text. in c. quemadmodum, & ibi gloss. in verb. oculos, de iureiur. Guido* papa *quæst.* 199. *nu.* 3. *Mattha. de Afflict. decis. Neapol.* 328. *nu.* 4. *Bartolom. Socin. in suis fallentiis reg.* 256. *iuramentum seruandum, in* 7. *fallent.* præses *Euerardi in loco à generalitate, nu.* 10. *Doctor Marta tract. de clausulis, claus.* 64. *nu.* 7.

9 Itaque si quis sponsalia de futuro contraxit, eáque iuramento firmauit, ac postmodum sponsa in lepram, paralysin incidat, vel aliam notabilem deformitatem, vt oculorũ vel nasi amissionem patiatur, aut turpius quid ei eueniat, spõsus matrimoniũ inire non tenetur. *text. d. c. quemadmodum de iureiur. in fi. Thomas Sanchez de sancto matrimonij sacramento, lib.* 1 *tit. de sponsalib. disputat.* 57. *per totum.*

10 Item si quis iuret nunquam accipere feudum, vel exercere talem artem, casu eueniente, quod aliter viuere non possit, non præsumitur de isto casu sensisse, & licitè eam exercebit. *Henric. Bohic. in cap. si vero x. de iureiur. Guido* papa *quæst.* 96. *nu.* 3.

11 Item Licentiatus qui iurauit alibi Doctoralia insignia se suscepturum non esse, quam in ea Academia, in qua Licentiæ lauream fuit consecutus, non obligatur religione, si alio in loco examinetur, & ibi Licentiatus fiat. *Petrus Peckius ad c. non est obligatorium, nu.* 7. *de reg. iuris in* 6.

12 Sic etiam iuxta aliquos Carthusianus non obstante voto carnes comedere potest, si alia via mortis discrimen euitare non posset. *Panormit. & Felin. in c. si vero, de iureiur.* Peckius *ad d. c. non est obligatorium, nu.* 6. *in fi.* & hæc sint dicta pro istius positionis exornatione.

Non

Non est verisimile aliquem vxorem locupletem indotatam velle ducere, cùm sine facultatum subsidio neque ali familia, neque cætera matrimonij onera sustineri possint: ideoque maritus qui diuitem vxorem sine dote duxit, potest ab ea petere, vt iustam dotem constituat, quod si facere recuset, poterit illam dimittere. Similiter si quis iurauit, Titiam in vxorem ducere, subauditur tacita cõdicio, si congruam dotem conferat. Præcedentia firmat *Io. Pet. Surdus tractat. de alimentis tit.* 1. *quæst.* 32. *nu.* 12. & 13. 13

Notandum desuper, quod iuramento inest clausula, si res non valet vt agitur, valeat vt melius valere potest. *l. cum pater.* 79. §. *filius matrem ff. de leg.* 2. *l. cum quis* 35. §. *codicillis, ff. eod. l. si quis maior.* 41. *C. de transact. Bartol. in l. si quis pro eo, ff. de fideiussor. Guido Papa cons.* 33. *nu.* 2. *Idem cons.* 31. *nu.* 3. Quod dictum est magni effectus & ponderis. Quia hoc modo actus alioquin inutilis & inualidus sustinetur & effectum sortitur: Exempli gratia. Si inter viuos donatio facta à donatore peste infecto & moribundo non valet ob insinuationis defectum: cum alia requisita & necessaria concurrunt, valebit tanquam donatio mortis causa facta, ob adhibitum iuramentum, ita censuit Senatus Sabaudiæ teste *Anton. Fabro in C. suo Fabria. tit. de insinuand. donat. definit.* 8. 14

Aliud exemplum potest statui in bonorum præsentium & futurorum donatione, quæ quamuis de iure non subsistat, si tamen accesserit iuramentum, valebit in præsentibus, reiecto eo, quod dictum est de futuris. *Ita Marcus Anto. Natta tom.* 2. *cons.* 453. *placet conclusio, nu.* 16. *post Aret. cons.* 54. *in causa ma-* 15

gistri Blasij, in fi. & addit Natta sequi Moder. Bononienses in tract. de virtutibus iuramenti. Ruin. cons. 51. Pri-
16 *mo videndum est, circà fi. lib.* 1. facit, quod vbi partes contrahunt omni meliori modo, vtile per inutile non vitiatur. *Natta d. cons. 453. nu.* 13.

17 Addo ad materiam, quod in omni iuramento authoritas & persona Superioris censetur excepta. *text. l. qui iurato, vlt. ff. qui satisd. cog. text. c. venientes. x. de iureiur. Octaui. Cachera. decis.* Pedemonta. 78. *nu.* 19. *apostil. ad Guido.* Pap. *quaest.* 194. Mattha. *de Afflict. decis.* 328. *nu.* 4. *Francis. Viuius decis. Regni Neapol.* 389. *nu.* 2. Vndè licet Domino recognoscenti Superio-
18 rem, vasallus iuret fidelitatem contra omnem hominem, & expressè ac nominatim nullus excipiatur, tacitè tamen per legem intelligitur excepta persona Imperatoris. *c. Imperialem* §. *final. & ibi Dd. de prohib. feudi alienat. per Frederic. glos. c. petitio, in verb. declaramus x. de iureiur.* Imperator enim, vt inquit satis magnificè Bald. est quasi corporalis mundi Deus, & tanquam terrestre Numen & stella matutina in medio nebulæ. Vnde sicut non iuratur contra Deum, ita nec contra Imperatorem, qui dicitur mundi Dominus. *l. deprecatio. 9. ff. ad l. Rhodiam de iact. not. Ioan. Schneydewin. in epitome in vsus feudor. parte* 1. *nu.* 43. 44. *Elbert. Leonin. cons.* 26. *num.* 2.

19 Similiter si quis votum fecerit, de nunquam iurando, & posteà ad testimonium dicendum legitimè vocetur, iurare & veritatem profiteri tenebitur: est enim Superioris authoritas excepta, *iuxta Bart. Brix. quaest.* 29. *Dom. de sanct. Gemin. post Io. Andrea in cap. quia pleriq; circa fi. de offic. ordina. in* 6. *Felin. in cap. constitutus, col. 6. vers. per istam ampliatio. de rescript.*
Fran-

Francis. Viuium decis. Regni Neapol. 389. *nu.* 2. Eodem modo Tholosæ decisum fuit, si tres socij iurauerint aliquid non reuelare, & posteà super illo facto producantur in testes, quod ad ferendum testimonium compelli possint. *Aufrer. decis. Capell. Tholos.* 240. *c. intimauit, de testib. Petr. Costalius in aduersar. ad ff. l. qui iurato, vlt. ff. qui satisd. cog.*

Item quemadmodum in generali sermone, intelligitur excepta persona loquentis. *l. qui insulam §. vlt. & ibi glos. in verb. extraneam. ff. locati.* ita quoque in iuramento. *text. in cap. petitio. x. de iureiur. & ibi glos. in verb. specialibus vestris,* vbi tradit: Licet quis alicui teneatur & obstrictus sit iuramento, non tamen tenetur contra se, vel Ecclesiam suam, vel etiam contra communitatem suam, & si promiserim tibi dare rem meam vel castrum cõtra omnem hominem, non tamen teneor dare contra me. Quia nemo tenetur plus alium diligere quam se ipsum, cum ordinata charitas à se ipso incipiat. *text. c. si non licet* 23. *q.* 5. & primò quis sibi debeat facere eleemosynam, deinde proximo. *text. can. qui vult ordinate, distinct.* 3. *de pœnitent.* 20

Finaliter pono, iuramentum appositum in contractu, cui in casum contrauentionis pœna adiecta est, habere vim clausulæ, *rato manente pacto*, ita quod veniens contra istum contractum, teneatur soluere pœnam conuentam, & nihilominus contractus maneat firmus, licet in eo non sit apposita ista clausula, *rato manente pacto. notat Præs. Euerardi in loco à iuramenti vi & energia, versic. Duodecimus singularis effectus,* dicens ex sententia Io. Imolę istud dictum esse singulare, ideoque memoriæ mandandum, quia quotidie possit vsu venire. 21

SIN-

SINGVLARE II.

In publica cæde. pater an liberi è familia præmortui censeantur.

SVMMARIA.

Substitutiones sæpissimè concipiuntur cum clausula, si hæres sine liberis decesserit, Mæuius hæres esto. num. 1.

Vt tales substitutiones euanescant, sufficit prolem momento superuixisse. nu. 2.

In condicionibus attenditur principium primæ existentiæ, & non curatur posteà ipsius condicionis successus. nu. 3.

Condicionem casualem vel mixtam sufficit semel fuisse impletam, licet non durauerit. nu. 4.

Pater in cæde an præsumatur liberis prædecessisse. num. 5.

Pater plus optat ipse habere malum, quam vt filius habeat. nu. 6.

Hostes prius patremfamilias aggrediuntur, quam inferiores. nu. 7.

Quid quisque videt, nunquam homini satis
Cautum est in horas: nauita Bosphorum
Pœnus perhorrescit neque vltrà
Cæca timet aliunde fata,

Canit Poëta Lyricus, & mox subiicit.

Sed

--Sed improuisa læthi
Vis rapuit rapietque gentes.

ATque ita quidem est, vt passim quamplurimi homines subitaneo casu ruinæ, incendij, naufragij, in publica etiam cæde, & aliis modis inopinatis pereant. Quare cum testatores substitutiones 1
non rarò concipiant sub hac forma, *Si hæres meus sine liberis decesserit*, *Mæuius hæres esto*, in hac rerum contingentiâ & caligine, non rarò dubitari contingit qui prædecessisse & præmortui sint existimandi, parentes an liberi. Est enim certi & indubitati 2
iuris, quod sufficiat prolem parẽtibus vel momento superuixisse, vt huiusmodi substitutiones euanescant. *l. ex facto. 17. §. penult. ff. ad Trebell. Præses Euerard. consf. 153. nu. 1. notat Sebastian. Medic. Regularum iuris Ciuil. & Pontific. lib. 11. verb. Mors, sub isto axiomate, Mors omnia soluit. versic. Sed quid dicemus. not. Dd. ad l. Cum acutissimi C. de fideicommis.* Quia in 3
condicionibus attendimus principium primæ existentiæ, & non curamus eius successum. *Ant. Gabriel. commun. conclus. lib. 4. tit. de fideicommis. conclus. 8. nu. 2.* Ideò condicionem casualem vel mixtam 4
sufficit semel fuisse impletam, licet non durauerit, & sufficit fuisse factum, licet non duret factum. *text. l. si quis in hæredem. 7. C. de instit. & substitut. Sebastian. Medices d. loco. Elbert. Leonin. consf. 73. nu. 10. & 11.*

Quid his casibus in euentum naufragij incendij, 5
ruinæ dicendũ sit, plures primarij Dd. qui passim in manib. sunt, ex professo amplè & plenè tradiderũt; nos præsenti themati inhærentes, in familiæ cæde patrem dicimus præsumi prædecessisse. Cùm nimirum

rum parentes ita ſuos liberos diligere exiſtimentur, vt diſcrimine imminente, pro eorum conſeruatione & defenſione, etiam mortis periculo priores ſe
6 exponere non timeant. Quia pater plus optat ipſe habere malum, quam vt filius habeat, & plus diligit filium quam ſe ipſum. *l. iſti quidem* 8. *& ibi gloſ. in verb. magiſ. ff. de eo quod met. cauſ. §. Sed veteres, verſic. quis enim patiatur, Inſtit. de noxal. actio. Hippol. de Marſil. in pract. crimin. §. expedita, nu.* 50. *Franciſ. Viuius deciſ. Regni Neapol.* 322. *incip. Pater eſt ſollicitus, nu.* 4. *&* 5. atque vti ait Poeta modernus,

Nullus amor verum vincit genitoris amorem
Exitium nati præcauet ille ſuo.

Quare ſcribẽtes in iure vnanimi voce & ſenſu concludunt, iis caſibus quibus pater & filius torturæ ſubiici debent à filio præſente vel abſente, ſed tamen ſciente patre, quæſtionem inchoandam eſſe. Magis enim cẽſent patrem filio quam ſibi metuere, magiſque affici eius tormento, quam ſua ipſius afflictione & cruciatu. Hinc citius quam filium perpetrati delicti confeſſionẽ emiſſurum. *Angel. Areti. tractat. de malefic. ad verb. fama publica, verſ. nunc videamus. Hippol. de Marſil. d. §. expedita, num.* 50. *Andr. Tiraquel. in repetit. l. ſi vnquam C. de reuoc. donat. in præfat. num.* 7. *Hieronym. Giachar. in addit. ad Iul. Clar. recept. ſentent. lib.* 5. *§. fin. pract. criminal. q.* 64. *in verb. Minori. Io. Baiard. ad eandem q. num.* 91. *Iodoc. Damhouder. in praxi rer. criminal. cap.* 37. *num.* 15. Nempe hæc fiunt vehementi quodam calore ac motu naturæ, cum vel bruta animantia incolumitatem ac ſalutem fœtus ſui vitæ ſuæ antepo-
nere

nere videamus, & hac de causa etiam cum longè potentioribus ac fortioribus aduersariis acerrimè decertare, & nullum periculum subterfugere. Adde præmissis, quod in patres-familias, tanquam capita & primarios domus, & qui fortius violentiæ possunt resistere, antè quam in libros & inferiores, hostes solent debacchari, & furere. Vnde præsumptio est vim patri prius quam soboli suæ illatam fuisse. Ita singulariter tenet, quamuis adeo amplè non firmet, *Ludouicus Charond. I. C.tus Gallus en ses Responses du Droict François, lib. 5. respons. 35.* 7

SINGVLARE III.

Fœcunditas muliebris.

SVMMARIA.

Casus elegans l. clemens patronus. 81. ff. de hæred. instit. num. 1.

Posthumo hærede instituto, si duo nascantur, ambo censentur instituti. nu. 2.

Verba singulariter in institutionibus prolata, ad pluralitatem trahuntur. nu. 3.

In dubio pro testamento debet pronunciari. nu. 4.

Reipublicæ interest vltima hominum iudicia effectum sortiri. nu. 5.

Legans filiabus non videtur posthumam comprehendisse, nisi adsint indicia. nu. 6.

Quando testator ita legatum concepit: Si qua filia mihi genita erit, ei hæres centum dato; pluribus natis tantundem singulis videtur reliquisse, nisi obstent coniectura. nu. 7.

Li-

Libertate legatâ posthumo nascituro, plures vno partu editi libertatem consequentur. nu. 8.

Si filiabus vel filiis vel liberis testator tutores dedit, an eâ dispositione filio itemq; nepoti posthumo videatur prouisum. nu. 9.

MVlieres interdum plures liberos vnico vel etiam diuerso partu edunt, quam fuit existimatum, vnde non raro contingit disputari super hominum dispositione & voluntate: vt ecce. Quidam
1 grauidam habens vxorē, ignorans filium an filiam esset paritura, in omnem euentum testamento suo volens prospicere, ita cauit: Si filius mihi natus erit hæres esto, si duo filij ex æquis partibus hæredes sunto, si duæ filiæ similiter. Si filius & filia, filio duas partes, & filiæ vnam assignauit. Accidit, vt nascerentur duo filij & filia, de quo casu testator mentionem non fecit neque cogitauit, quomodo ergo in hac facti specie partes faciendæ? pulcherrimè istud punctum Paulus decidit in *l. clemens patronus. 81. ff. de hared. instit. in princ. Cum filij*, inquit, *debeant pares esse, vel etiam singuli duplo plus quam soror accipere; quinque igitur partes fieri oportet, vt ex his binas masculi, vnam fœmina accipiat.* Optimè videlicet eximius I. C.tus secutus fuit intentionem ac mentē testatoris, & quia magis masculino quam fœmineo sexui fauere voluit, ad voluntatis eius mensuram iustissimè sententiam suam adæquauit.

Sed quid contrà, si stante dicta testatoris dispositione, duæ filiæ, & vnus filius natus fuisset? tantum consequi filius debuisset, quantum illæ duæ filiæ. *glos. d. l. clemens patronus, in verb. accipiat.*

2 Item cum quis instituit posthumum ex vxore præ-

prægnante nasciturum, & eodem vtero duo fortè nascuntur, quæritur quid iuris in istâ testamenti factione? Responde ambos intelligi institutos, neq; rumpi testamentum. *Ita Anton. Tessaur. decis. Pedemont.* 270. *nu.* 10. *per text. l. qui filiabus,* 17. *de leg.* 1. *loquentem in legato. Idem notat Francis. Mantica de coniectur. vltim. voluntat. lib.* 4. *tit.* 10 *nu.* 4. *post Federicum de Senis in cons.* 42. *nu.* 1. *Alex. in l. placet, de liber. & posth.* subdit *Mantica*, quia verisimile est, quod si testator de ambobus cogitasset, ambos instituisset. *arg. l. cum inter veteres.* 14. *vers. sin autem C. de fideicommis.* & quod institutio posthumi est fauorabilis. Addo ego, in institutionibus verba singulariter prolata, trahi ad pluralitatem, vt dixit *Io. Dilectus, de arte testandi tit.* 3. *caut.* 10. *nu.* 2. & fauorabilē esse testamenti conseruationem, pro quo in dubio semper responderi & pronunciari debet, *l. si pars.* 10. *ff. de inoffic. testam. c. fina. de sentent. & re iudic.* cum intersit Reipubl. vltima hominum iudicia effectum sortiri. *l. vel negare.* 5. *ff. quemad. testam. aper.* 3 4 5

Nota tamen, quod is qui filiabus legauit, non videtur de posthumâ sensisse, nisi de eo appareat per indicia. *tex. l. qui filiabus.* 17. *& ibi glos. in verb. fecit, de legat.* 1. *l. qui quartam.* 15. *§. si quis vnam ff. eod.* 6

Amplia primò principale dictum proximè enunciatum, etsi quis instituerit posthumum extraneum, putà filium qui ex primo Arethusę partu nascetur, si duo nascantur vterque hæres erit, tradit exemplificando *Anton. Tessaur. d. decis.* 270. *& num.* 11.

Amplia secundò, legato hoc modo concepto: si qua filia mihi genita erit ei hæres centum dato; pluribus natis videtur singulis tãtundem relictum, nisi 7

nisi ex coniecturis constet de contraria testatoris voluntate, *d.l.qui filiabus* 17. §.*si quis ita,de legat.*1.

8 Amplia tertiò, si libertas legata sit posthumo nasciturο, etiam plures editi vno partu libertatem consequentur. *l.cum inter.*14. *C.de fideicommiss.libert.* *Ant. Gomez.ad l.*40. *Tauri nu.*68.*vers. sexta principalis opinio est.*

9 Amplia quartò, si non facta mentione posthumi vel posthumæ, filiis suis vel filiabus testator dederit Tutores, etiam posthumo vel posthumæ dedisse videtur, quia hoc casu filij vel filiæ appellatione continentur. Sub voce autem filiorũ non continebitur nepos posthumus: qui benè continetur, quando liberorum dictione testator vsus est. *text.§. si quis filiis suis instit. qui testament. tutor. dari poss.* tene menti hosce textus & allegationes, quia sunt multum singulares & notabiles.

SINGVLARE IIII.

Ingressus in Monasteriũ morti naturali æquiparatur.

SVMMARIA.

*Ingressus monasterium & monachus propriè dicitur, qui professionem emisit.nu.*1.

*In monasterium ingressus morti naturali æquiparatur. num.*2.

Religiosus testamentum ante professionem conditum, reuocare vel mutare non potest. nu. 3.

Testatore monasterium ordinis Mendicantium ingresso

gresso, statim scripti hæredes ad eius successionem admittuntur, secus si monasterium bonorum capax fuerit. nu. 4.

Idem est iuris substituto, cùm hæres grauatus hæreditatem restituere si sine liberis decedat, Monachatum amplexus est. nu. 5.

Cùm mors ciuilis eiusdem est effectus cùm naturali, tunc eadem in vtroque casu dispositio est seruanda. num. 6.

Legitima succedit in vicem alimentorum. n. 4.

Statuto dictante, quod mortua vxore vir dotem lucretur; quid iuris ea religioni nomen dante? num. 7.

Donatio mortis causâ facta, per ingressum religionis confirmatur. nu. 8.

INgressus monasterium non propriè dicitur ille, 1
qui probatam aliquam religionem intrauit cum intentione diuino obsequio se mancipandi iuxta eius regulam & instituta, nisi professionem quoque solenni more & ritu emiserit. *Felin. in c. cum deputati. x. de iudic. num. 2. & ibi addit. sub litera A. citans Paul. Castrens. in Auth. ingressi. C. de sacros. Eccles. in princ. Alexan. in l. si quis hæredem, vers. extra glos. C. de institut. & substit. Bartol. cons. 13. in princ. & Authent. si qua mulier, ad fin. C. de sacros. Eccles. Idem notat Stephan. Gratian. decis. Rotæ prouinciæ Marchiæ.* 35. *num.* 2. post professionem enim demum & non ante verè quis monachus est censendus. *text. c. apostolicam. x. de regular.* & talis ingressus in monaste- 2
rium æquiparatur morti naturali. *l. Deo nobis, & ibi Dd. C. de episc. & cleric. text. c. placuit* 16. *q.* 1. *& ibi glos. in verb. mortuus.*

Ex quo infero primò, quod testamentum ante 3

professionem factum, per religiosum neque mutari neque reuocari possit. Quia vti dictum est, pro mortuo habetur, & facto etiam voto rerum proprietatem amisit. *Francisc. Vinius commu. opinio.* 883. *incip. testamentum monachi, post Angel. & Imol. in l.* 1. *ff. de testam. Anton. Butrio, Abba. nu.* 61. *& August. Bero. nu.* 513. *cum aliis sequent. in c. in præsentia x. de probat. & Iaso. in Authent. si qua mulier, sub num.* 27. *cum seq. C. de sacros. Eccles.* vbi existimat istam opinionem veriorem esse. Communem dicit *Io. Dilectus de arte testand. tit.* 3. *de liber. instit. caut.* 9. *num.* 1. *& seq.* & isti communi inhærendum censet in actu practico *Vinius d. loco.*

4 Infero secundò, quod imò mediante tali professione testamentum confirmatur. Itaque si quis testamentum confecerit, & postmodum in ordinem Mendicantium sit ingressus, hæredes scripti statim petere & apprehendere possunt eius bona, naturali eius morte minimè expectatâ: si verò ordini bonorum capaci nomen dederit, aliud dicendum est. Quia hoc est regulare, vt testamentum effectum sortiri non possit, nisi testator verè & naturaliter è viuis excesserit: *arg. l. Statius Florus.* 48. §. *Cornelio. ff. de iure fisc.* ideoque cùm bonorum capax est monasterium, testatore viuente illud fruitur commodo hæreditatis, *per notata illatione seq.* legitimam tamen liberis statim præstari oportet. *c. cum simus, iuncta ibi glos. in verb. & bona paterna, de regular.* cùm succedat in vicem alimentorum, quæ etiam viuo parente liberis debentur.

5 Infero tertiò, casum præcedenti non absimilem, quemque in primis cum anteriori ac sequenti pono pro singulari. Quando hæres grauatus restituere

ruere hæreditatem, si sine liberis eum decedere contingat; ingreditur ordinem religiosorum mendicantium, statim virtute præfati fideicommissi ad hæreditatem substitutus admittitur; aliud & contrarium obtinebit, si monasterium bona capere possit. *notat Præses Euerard. loco legali ab æquipollentibus; num. 10. Henricus Boguetius ad consuetud. comitat. Burgund. tit. 2. §. 3. in verb. de son mary, num. 4. vbi itidem num. 3.* tradit pro axiomate; vbicumque mors ciuilis eiusdem est effectus cum naturali, eandem in vtroque casu dispositionem esse seruandam, quod & scripsit *Præs. Euerard. d. loco. Andr. Gail libro 2. obs. 136. num. 7.* 6

Infero quartò, statuto dictante, quod mortuâ vxore vir dotem lucretur, si vxor monasterium Mendicantium ingrediatur & in eo sit professa, vir consequetur lucrum dotale. *tradit Boër. decis. 2. num. 39. Sebastian. Medices citatus lib. 11. tract. regul. iur. Ciuilis & Pontific. verb. Matrimonium soluitur. vbi dicit Dd. tenere communiter in l. Deo nobis C. de Episc. & Cleric. citat Bald. in §. illud Authent. de Monachis §. Si vero Authent. de sanctis. Episc. Salicet. in l. cum te C. de secund. nup. Ias. cons. 135. vol. 1. Bald. cons. 110. vol. 2. Ruin. cons. 98. num. 13. vol. 2. glos. §. adultera, vers. habitum, Authent. vt nulli iudic. Bald. Nouel. tract. de dote; priuileg. 11. Angel. Bero. ad c. in præsentia, num. 477. de probat. not. c. final. de donat. inter vir. & vxor. Bartol. in l. si ab hostibus §. si vir. ff. solut. matrim.* nisi ob sæuitiam viri vxor coacta fuerit religionem inire, ita singulariter conciliat opiniones *Medic. d. loco.* 7

Infero quintò, quod sicut mortis causâ facta do- 8

natio per mortem naturalem confirmatur, ita etiam per ingressum religionis. *glos. notab. c. placuit 16. q. 1. in verb. Mortuus.*

SINGVLARE V.

Quibus casibus à statuto vel dispositione per Papam vel Principem confirmato, statuentes vel disponentes suâ authoritate non possunt recedere.

SVMMARIA.

Quod id facere regulariter possint. nu. 1.
Contraria opinio. num. 3.
Prima retenta variis modis limitatur. nu. 4.
Inductum fauore alicuius, non debet in eius dispendium retorqueri. nu. 2.

1 Dispositio seu statutum, quod cum authoritate siue consensu Principis per disponentes seu statuentes factum est, poterit sine eo liberè reuocari. *c. cum accessissent. x. de constit. ibid. Abb. Iaso. in l. omnium, nu. 6. C. de testam. glos. est notab. in c. dilecto, in verb. clausula. x. de præbend.* Idem si à Sede Apostolica dispositio, vel statutum fuerit confirmatum, vti not. *Crescent. decis. Rotæ* 1. *tit. de pact. aliàs decis.* 186. *incip. confirmatio, num.* 2. Cum enim talis con-
2 firmatio facta sit fauore eorum qui illam requisiue-re,

re, non debet in eorum præiudicium ac grauamen redundare, iuxta gloss. *in d.c.dilecto.*

3 Contrarium tenuit *Anton. Tessaur. decis. Pedemonta. 249. num. 9. vers. nec obstat.* vbi dicit ex authoritate *Bartol. Rayner. Seueri* à se allegatorum, si in statuto Principis confirmatio interuenerit, in eiusdem reformatione vel reuocatione illius quoque authoritatem interuenire debere, vt vnumquodque tollatur ea forma qua colligatum est. *l. nihil tam naturale ff. de reg. iur.* & subiicit id procedere, etiam quod aliàs confirmatio Principis non requireretur nisi ad abundantiam.

4 Tenendo priorem opinionem, Limita primò si ista confirmatio Papæ vel Principis necessariò debebat adhiberi, vt ibi apud *Crescent. d decis. 1. num. 3. per reg. in Authent. è contra si filius, C. de repud. & argum. not. per Bald. in c. cum omnes, de constit. & c. decernimus, de Iuda. & in l. ex placito C. de rer. permutat.*

Limita secundò, si actus vel dispositio confirmata per Papam tendit ad cultum diuinum, neque enim poterit per disponentes reuocari. *Crescent. d. decis. 1. nu. 3. vbi citat Imol. & Angel.*

Limita tertiò, si verba confirmantis sonarent in præceptum, vt *in d. decis.* 1. vbi Papa vtramque partem ad obseruantiam cogi & compelli posse decreuerat.

Limita quartò, si Papa vel Princeps apponat clausulam annullatiuam. *c. dilecto. vers. nisi fortè, gloss. ibid. in verb. clausula. x. de præbend. Anton. Gabriel lib. 6. commu. conclus. 3. tit. de clausulis, num. 59.*

Limita quintò, quod imò stante confirmatione cum clausula decreti irritantis, statuta non tantum non possent reuocare, sed neque illa etiam interpretari

pretari seu declarare statuentes. *Gabriel. d. loco num.60.*

Limita sextò, quando ex statuto ita confirmato ius alteri esset quæsitum, & statutum fauorem aliorum, vel ius publicum concerneret. *Feli. in d. c.cum accessissent,num.4.de constitut.* Præmissas limitationes secundam, quartam,& quintam pono pro singularibus.

SINGVLARE VI.

Lex non fouet in se peccantem.

SVMMARIA.

Indignus est fauore legis, qui peccat in legem. nu. 1.

Iura minoribus & mulieribus deceptis subueniunt,non vero decipere volentibus.nu.2.

Qui Ecclesiam violauit, & posteà alio crimine commisso ad illam confugit, iure immunitatis non gaudebit.nu.3.

Delinquens fiduciâ Ecclesiasticæ immunitatis consequendæ, vel indulgentiarum Apostolicarum, neque immunitatis neque indulgentiarum beneficio iuuatur.num.4.

Gratia Principis non iuuat malefactorem, qui eâ subnixus delictum perpetrauit.num.5.

Notando exemplo demonstratur.Ibid.

1 QVi committit in legem,indignus est beneficio legis.*c.vlt.de immun.Eccles.* Itaque si mulier decipendi ac fraudandi animo res suas obligari passa est,

est, vti alienas, non gaudebit beneficio S.C.ti Velleiani: cùm eo S. C.to mulierum infirmitati, non 2
calliditati fuerit prouisum. *l. si sine voluntate. 5. C. ad S.C.Velleia. l. in eo quod plus sit. §. mulieribus. ff. de reg. iur.* Sic si minor malitiosè se maiorem dixerit, habetur indignus, cui lex in integrum restitutionis beneficium impartiatur. *l. 2. C. si minor se maior. dixer.* Quia errantibus non etiam fallentibus minoribus publica iura subueniunt, *iuxta illum text.* Idem iuris est, si minor ex delicto suo doloso conueniatur. *l. 1. & vlt. C. si aduers. delict. suum.*

Eodem modo, quamuis ius asyli in reuerentiam 3
diuini Numinis olim fuerit constitutum, ac Ecclesiis priuilegium concessum, quod ad eas confugiẽtes regulariter extrahi non possunt; minimè tamen gaudent huiusmodi indulto & prærogatiuâ, qui Ecclesiam violauere. Quia per delictum suum in sanctissimi loci irreuerentiam admissum, eius tutelâ & præsidio seipsos priuarunt. *c. vlt. & ibi glos. in verb. quo faciunt se indignos, de immunit. Eccles.* Quod dictum signanter amplia, etiam in ista facti specie, cùm quis aliquo iam tempore elapso in Ecclesiam deliquit, putà sacrilegium commisit, & posteà alio crimine perpetrato ad Ecclesiam confugit, non gaudebit iure immunitatis, veluti conclusum & decisum fuit Tholosæ, & habet *decis. Capell. Tholos. quæst. 422. per c. si Episcopus, cum c. seq. 17. q. 4. & per c. fin. de immunit. Eccles.*

Item per prædicta non gaudebunt Ecclesiæ im- 4
munitate, qui spe & fiduciâ illius assequendæ, malefactis incumbunt. *Iac. Menoch. lib. 5. præsumpt. 10. text. in d. c. vlt. de immun. Eccles.* & in præsenti materia pro multũ notabili & singulari habe, quod eadem

ratione, peccans ſpe conſequendæ abſolutionis virtute indulgentiarum & Apoſtolicarum literarum, non poteſt vi ipſarũ abſolui iuxta doctrinam *Io. Lopez in c. per veſtras. §. 10. de donat. inter vir. & vxor. & allegata per Menochium loco citato nu. 7. & per Dyn. ad c. peccatum, in fin. de reg. iur. in 6.*

5 Item pro dicto memorabili & ſingulari habe, quod ille qui fiduciâ remiſſionis delicti à Principe obtinendæ peccauit, benignitatis principalis effectum conſequi non meretur. Sic accidit Tholoſæ, vt qui ante crimen commiſſum iactaſſet, quod pro decem aureis eius gratiam à Rege eſſet conſecuturus: cùm deinde eo commiſſo gratiam obtinuiſſet, & in ſupplicatione nullam illius ſuæ iactantię mentionem feciſſet, iudicatum fuit gratiam ſurreptitiam eſſe, & ipſe fuit decapitatus, teſte *Iul. Claro §. final. pract. crimin. quæſt. 59. nu. 12.*

SINGVLARE VII.

Quando tertius poſſeſſor rei hypothecatę, ſine præuia excuſſione debitoris principalis, conueniri poſſit.

SVMMARIA.

Creditor poteſt agere perſonali vel hypothecaria actione, dum debitor poſſidet rem obligatam. nu. 1.

Tertius poſſeſſor hypothecæ nõ poteſt conueniri, niſi præuia debitoris & fideiuſſorum eius excuſſione. nu. 2.

No-

Nostra magis interest non soluere potius, quam solutum repetere. Ibid.

Ampliationes & limitationes Authent. hoc si debitor, C. de pignor. & hypothec. nu. 3. & seq.

Quod sine periculo quis facere nequit, dicitur non posse facere. nu. 4.

Hæres repræsentat defunctum, eademque cum eo persona habetur. nu. 5.

Quando quis titulũ suæ possessionis cogitur exhibere. n. 6.

Quæ de nouo emergunt, nouo auxilio indigent. nu. 7.

CLari & expediti iuris est, dum hypotheca ab ipso debitore possidetur, in creditoris esse electione, num personalẽ aduersus ipsum, num vero realem actionem velit intentare. *text. in l. persecutione. 24. C. de pignor. & hypoth.* habet enim tam personã quàm rem obligationis vinculo sibi obstrictã. 1

Sed cum huiusmodi hypotheca est alienata, mitius posterior legis sanctio cum extraneis & tertiis possessoribus agi voluit, neque illos hypothecaria conueniri posse, nisi prius creditor cõtra principalem debitorem vel eius fideiussorem egerit, iisque excussis suum consequi non potuerit. *text. Auth. hoc si debitor. C. de pignor. & hypothec. & ibi glos. in verb. quæ sunt. Guido Papa quæst. 432. num. 1. Andreas Gail obseruat. 27. nu. 7. l. 2. Anto. Faber in suo C. Fabria. tit. de pignorib. definit. 32. Idem tit. de exception. definit. 31. Francis. Viuius cõmun. opin. 13. nu. 7. Ludouic. Charond. en ses responses du droict François, lib.* 11. *respons.* 68. *& en ses Memorables, verb. Discussion.* 2

Et hoc optimo iure ac summâ cum æquitate fuit constitutum, ne illos qui obligationem nullam super re constituerunt, ex alieno facto & contractu 3

con-

continuò nudari re suâ contingat. Deinde quoniam eorum, prout etiam vniuscuiusque magni sanè interest, non soluere potius quàm solutum repetere. *l.* 3. *ff. de compensat.* & sumptib. ac litib. non vexari. *l. minoribus.* 6. *ff. de minor.*

Amplia primò, vt procedat dispositio dictæ Authent. etiamsi statutum dicat, quòd proprietarij & detentores prædiorum personali actione possint conueniri ad soluendum reditus decursos & onera prædiorum, pro rata temporis quo ea tenuerunt: adhuc enim saluum manet tertio possessori beneficium legis, & exceptio non factæ excussionis, nisi addiderint statuentes *non facta prædicta excussione. ita Ludouic. Charond. d. lib.* 11. *resp.* 68.

Amplia secundò, vt creditori obiici possit exceptio etiam non excussi Principis, veluti iudicauit Senatus Sabaudiæ *teste Anton. Fabro d. tit. de pignor. definit.* 35. Quod iuxta eum intellige de Principe bono & æquo, qui iustitiæ conseruatione nihil habet antiquius; secus in Tyranno, qui neque con-
4 ueniri neque condemnari se patitur. Quod enim sine periculo & discrimine quis facere non potest, hoc nec facere posse creditur. *l.* 2. §. *vis fluminis. ff. si quis cautio. l. continuus.* 137. §. *cum ita, versic. & qui Ephes. ff. de verb. obligat. Faber d. definit.* 35.

5 Declara primò *d. Authent. Hoc si debitor*, vt eadem sit conditio hęredis quę mortui debitoris, cum hæres repræsentet defunctum, eademque cum eo persona habeatur, vt tradunt *Dd. in l. fina. C. de hæred. instit. Iacob. Menoch. lib.* 3. *præsumpt.* 47. *nu.* 2.

Limita secundò, quia hæc exceptio non competit nudo detentori, qui aut nullo modo, aut alij non sibi possidet, qualis est conductor, depositarius,

rius, commodatarius & si qui sunt similes. *Anton. Faber in d. C. Fabria. tit. de except. definit. 3.*

Limita tertiò, si tertius possessor non probet se bonæ fidei possessorem exhibito titulo, ad quod cogi potest. Nam quamuis dici soleat, non esse 6
quemquam cogendum vt possessionis suæ titulum exhibeat, id rectè procedit cùm actor de iure suo non docuit: tunc enim sufficit dicere, Teneo quia teneo, cùm aduersus eos qui nihil iuris in re vel ad rem habent, etiam vitiosa possessio prosit. *Anton. Faber d. tit. de exception. definit. 3. & definit. 31.*

Limita quartò, si debitor principalis sit absens *iuxta gloss. in d. Authent. hoc si debitor, in verb. actum sit.* quam gloss. vlterius interpretando Bartol. ait, quod necesse sit contra Principalem debitorem absentem agi, non ideò vt contra eum feratur sententia definitiua, quæ ferri non potest lite nō contestatâ, sed benè vt cōtra eum feratur interlocutoria, tanquam contra contumacem, & fiet discussio bonorum ipsius. *arg. l. præsenti. 5. §. 1. & 2. C. de his qui ad Eccles. confug. ita Bartol. in d. l. persecutione, nu. 3. C. de pignor. & hypothec.*

Limita quintò, si tertius possessor citatus ad hoc per creditorem statuto sibi termino non ostenderit aliqua alia debitoris bona extare. *Francisc. Viuius decis. Regni Neapol. 269. num. 1. ex Angel. in l. à Diuo Pio §. in venditione ff. de re iudica.*

Limita sextò, modò ista exceptio opponatur ante litem contestatam, quia post opponi non potest. Istam partem tenet *Io. Sichardus ad d. l. persecutione C. de pignor. num. 7. & 8. latè scribens.* Eandem fuit amplexus *Salicetus* reiectâ aliâ opinione *in d. Authent. Hoc si debitor. nu. 10. per l. si mari-*

maritus §. præscriptiones. ff. de adulter.

Contrarium quod in quouis statu causæ ista exceptio possit opponi, adeoque etiam in materia appellationis, post sententiam in alia instantia latam, tenet *Ludouic. Charond. en ses responses du droict François, lib. 11. respons. 68. in fi. citans l. per hanc. C. de appellat. Bald. & Castrens. ad d. l. vlt. ff. si cert. peta. & Castrens. ad l. si pœna §. fin. ff. de condict. indebit. Ferrer. ad Guid. Papæ quæst 91. & 432.* quem scribit testificari in Parlamento Tholosano sic fuisse iudicatum.

Addo aliorum doctrinam, quod etiam post litem contestatam prædicta exceptio non factæ excussionis potest opponi, si tum demum debitor
7 principalis factus fuit soluendo. Quia quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. *l. de ætate* 12. *§. ex causa, ff. de interrogat. actio. Io. Sichard. post Iac. Butrio à se citatum ad d. l. persecutione. num. 22.*

Limita septimò, quia si contra tertios possessores bonorum actum fuit hypothecaria, principali debitore non conuento, neq; excussione facta, valebit processus & sententia contra eos lata. *Bartol. ad d. l. persecutione.*

Limita octauò, si tertius possessor sciuerit se emere rem obligatam. Neque enim beneficium exceptionis non excussi debitoris habebit. *Anton. Gabriel. libr. 3. commu. conclus. 1. tit. de fideiussor. nu.* 117. *Anton. Faber d. tit. de pignor. definit.* 33. Idem obtinet, si consentiit creditor venditioni saluâ hypothecæ causâ, *definit. 25. Ibidem.*

Ampliatio *d. Authent.* prima, Limitationes tertia & inprimis octaua, iuxta quam de facto consului, sunt singulares & memoriâ omninò tenendæ.

SIN-

SINGVLARE VIII.

Minor hæres in integrum non restituitur, cùm restitutionis beneficium defuncto, cui successit, non competebat.

QVamuis priuilegiatus non priuilegiato succedens aliquibus casibus priuilegio sibi specialiter concesso fruatur, tamen menti impressam habe pulchram illam traditionem doctorum super materia restitutionis minorum: quod vbicumque nihil cum minore gestum fuit & agitur ex obligatione facto defuncti contractâ, ex capite minoris ætatis hæredi restitutio concedi non debet. *Francis. Viuius decis. Regni Neapol. 263. num. 8. per l. Æmilius. 39. ff. de minor. & ibi Bartol. Bald. Angel. Castrens. & uniformiter omnes, in l. cum filius-familias. 49. §. in hac stipulatione. ff. de verb. obligat. Bart. Bald. Alberic. & alij in l. 1. & 2. C. si aduers. vendit. pignor. Cynus & Bald. in Auth. quas actiones C. de sacrosanct. Eccles. Idem Viuius decis. Regni Neapol. 250. in princ.* Quare etiam minor succedens defuncto, cui ob aliquam probationem non factam in integrum restitutio non competebat, iure ac beneficio restitutionis non vtitur. Aliud foret dicendum, si ipsi minori ad probationem suam faciendum terminus foret constitutus, & sic aliquid factum in causa per ipsum minorem, tum enim restitutioni in integrum locus esset. Ita in Regia Camera, & in

& in magna Curia vicariæ, nec non in Concilio Neapolitano diuersis causis atque temporibus iudicatum fuisse refert *Matth. de Afflict. decis. Neapol.212.allegans Bartol.ad dictam l. cum filius §. in hac stipulatione.ff. de verb.obligat.* & est dictum singulare, multumque notabile.

SINGVLARE IX.

Facta conuentione, quod de euictione quis non tenebitur, an re euictâ precium saltem rei debeatur.

QVando venditor cum emptore expresse conuenit, quod de rei venditæ euictione non tenebitur, iure receptum est, vt re euictâ nihilominus emptori precium refundere debeat. *text. l. emptorem* 12. *§.fin.ff. de actio. empt. & vend.* At vero si inter cohæredes sit dictum ne quis teneatur de euictione, tunc propter vicissitudinem & propter dubium euentum inter ipsos cohæredes, nemo tenebitur ad precium. Nam quilibet videtur in se suscepisse periculum suæ portionis hæreditariæ. gloss. est eximia & singularis *in l. si familiæ* 14.*C. famil. erciscund. quam glos. multum commendat Bart.ibid.num.* 1. *& illam notat ac menti tenendam tradit Fernand. Vasquius controuersia.iur. lib.* 6. *cap.* 68. *num.* 12. *Costal.ad l. ex empt.* 11. *§. qui autem ff.de act. empt.*

SIN-

SINGVLARE X.

Quis pro re feudali homagium præstare & iura dominicalia soluere teneatur proprietarius vel vsufructuarius.

SVMMARIVM.

Dicitur quod de iure proprietarius ad præmissa sit obligatus per tot.

ISta quæstio est quotidiana ,& tamen apud Dd. non ita facilè reperire:circa quam veteres practicos vidi hallucinari. Tu dic , quod circumscriptâ consuetudine Curiarum feudalium & locali, quæ circa hæc varia est & inprimis venit attendenda ac seruanda, isthæc incumbunt de iure proprietario facienda ; per notata *Chassan.ad consuetud. Burgund. Rubr.* 3. §. 1. *verb. pour cause de deuoir* ; & expresse tradit *Ludouic. Charond. en ses Memorables, verb. Droicts,fol. mihi* 284. dicens iura releuij per proprietarium & non per vsufructuarium deberi, & si Dominus directus feudum saisiri curauerit ob homagium & iura non præstita, proprietarium teneri efficere, vt isto impedimento remoto, vsufructuarius re feudali liberè vti frui possit:subdit ita iudicatum arrestis Senatus Parisiẽsis anno 1568. & anno 1570. est casus pulcher & singularis.

SIN-

SINGVLARE XI.

Diuersus alienationis expresse per testatorem prohibitæ, & fideicommissi simpliciter relicti, effectus.

SVMMARIA.

Prohibità alienatione per testatorem, statim post contrauentionem fideicommissarius potest rem vendicare. num. 1.

Valet alienatio rei, quam testator post certum tempus vel sub conditione iussit restitui, pendente isto tempore vel conditione. num. 2.

Resoluto iure datoris, ius acceptoris resoluitur. nu. 3.

1 NOta multum referre circa alienationem rei restitutioni subiectæ, an testator rem expresse prohibuerit alienari, an verò simpliciter iusserit restitui. Priori enim casu alienatio nullius est momenti, nec ex ea dominium nec vllum ius in re transfertur, adeo vt fideicommissarius siue substitutus illam possit statim ab emptore repetere & vẽdicare. *Anton. Gomez. ad l. 40. Tauri, nu. 88. per l. cum pater. 79. §. libertis. ff. de leg. 2. ibid. glos. Paul. de Cast. Imol. Rapha. & communiter Dd. Alber. in Auth. res quæ C. commun. de legat. col. 2. Paul. de Castro in l. seruo legato. 72. §. 1. ff. de leg. 1. vbi illam glos. iuncto textu reputat ad hoc singularem. Idem in l. filiusfamilias. §. Diui ff. de leg. 1. col. 2. & ibi communiter aliꝗ*

ilij *Dd. Io. Gutierrez in repetit. l. nemo potest. ff. de leg.* 1. *num.* 25.

2 Posteriori casu, cùm res expresè prohibita non est alienari, sed tacitè tantùm, vt quia hæres vel legatarius post certum tempus vel sub conditione grauatus est restituere, tunc pendente isto tempore vel conditione possunt huiusmodi res restitutioni obnoxiæ alienari, & valet ac tenet mero iure alienatio, transitque dominium & ius in re in accipientem: at illo tempore elapso, vel purificatâ conditione, statim ipso iure resoluitur ius, quod fuit constitutum in re, & acquiritur fideicommissario & substituto. *not. Octauia. Cachera. decis. Pedemonta.* 177. *num.* 5. *Anton. Gomez. d. loco. per text. l. cum pater. §. hæreditatem ff. de leg.* 2. *l. peto. §. prædium, eod. tit. l. vnum ex familia. §. sed etsi fundum, vers. quod si talia, eod. tit. text. in d. l. seruo legato, §.* 1. *ff. de legat.* 1. *in l. generaliter, §. quoties ff. de fideicommissar. libert. l. plerumq; ff. de reg. iur. l. si is cui §. hæres ff. quemad. seruit. amitt. l. fin. §. sin autem sub conditione C. commun. de lega. & ibi communiter Dd.* Nimirum, quia 3 iuxta vulgatem theoricam, resoluto iure authoris vel datoris, resoluitur ius successoris vel acceptoris. *l. si ex duobus* 6. *ff. de in diem addict. l. lex vectigali. ff. de pignor. in fi. Præs. Euerard. cons.* 151. *num.* 2. *Io. Petr. Surd. tract. de aliment. tit.* 9. *quæst.* 42. *num.* 1. ista doctrina Dd. est singularis.

SINGVLARE XII.

An filius patre viuente liberans eius debitores, post obitum paternum dictæ liberationi stare teneatur.

SVMMARIA.

Viuo patre legitima liberis non debetur. num. 1.

Assignatio legitimæ à patre etiam prodigo nequit postulari. num. 2.

Pater condemnationem filij ob delictum respectu legitimæ soluere non tenetur. num. 3.

Pœna non debet egredi personam delinquentis, sed suos tenere authores. num. 4.

Pater non tenetur satisfacere pro filio ob crimen damnato, etiamsi alioquin corporaliter esset puniendus. num. 5.

Filium ab hostibus captum pater præcisè non cogitur liberare. num. 6.

Nemo potest in alium plus iuris transferre quàm ipse habet. num. 7.

Hæreditas paterna quasi debita liberis esse dicitur. num. 8.

VIdetur in proposito dicendum, quòd non. quia
1 dùm pater vixit, filio nihil iuris fuit in bonis paternis, imò patre viuente ne quidem legitima liberis censetur debita, vt commune ponit ex Vi-

tiio *Ema. Soarez in thesaur. recept sentent. verb. legitima, num. 67. latè firmans Mynsinger. centur. 4. obs. 25. per tot. Anto. Faber in suo C. Fabriano, tit. ne filius pro patre, defin. 2. num. 2. per l. 1. §. si impubere. ff. de collat. iuncta l. 2. §. interdum, de vulg. & pupil. substit. l. 2. in fin. ff. de his quibus vt indig. l. donari. 29. aliàs l. quidam, in fi. ff. de donat.* Hinc est quòd legitimæ assignatio nequit peti viuo patre, *Soarez d. loco. Ludouic. Charond. en ses Memorables, verb. Filz, fille. in princip.* vbi id ampliat in patre bonorum dissipatore, vt ne is quidem ad præstationem legitimæ compelli possit, subiiciens tamen è praxi Gallica, quòd ad denunciationem & requisitionem propinquorum ac instantiam Regij procuratoris tali prodigo patri solet interdici bonis, & ei Curator dari. 2

Item hinc est, quòd filio pro crimine condemnato, pater huiusmodi condemnationem soluere non teneatur, ne quidem respectu legitimæ, quæ ipsi filio debebitur post mortem patris; non enim tenetur pro filio. *Iul. Clarus §. final. quæst. 86. num. 3. vbi communem enunciat ex Laur. Palat. de stat. exclus. fæ. in 1. parte principali post num. 15. & ex Imola in c. Raynutius, num. 42. de testam. & Viuio in libr. commun. opinion. fol. 208. vers. stat deponens in 1. limitat. quem passum in mea impressione Francofurtiana, de anno 1611. ego reperire non potui. not. Ema. Soarez verb. Legitima. num. 69. in thesaur. recepta. sentent. Anton. Faber d. definit. 2.* Neque verò pœna egredi debet personam delinquentis, sed suos tenere authores. *l. sancimus. 22. C. de pœnis.* 3 4

Et ampliatur hoc dictum, tametsi per egestatem filius soluere nequeat in ære, ideoque futurum sit vt luere debeat in corpore, veluti pulchrè firmat 5

Anton. Faber d. definit. 2.

6 Imò etsi filius ab hostibus sit captus, quamuis in eo nullum filij crimen versetur, non tamen præcisè cogitur pater, quidquam in eius redemptionem conferre, nisi quod eo id facere negligente, filius quandocunque testamentum conficiens, patrem possit exhæredare. *Nouell.* 115. *vt cum de appellat. cognos. Boër. decis.* 126. *num. penult. Faber d. loco.*

Ergo per præmissa videtur filius frustrà dictam liberationem fecisse, cùm huiusmodi credita non
7 ad ipsum, sed ad patrem spectarent, & nemo plus iuris in alium possit transferre quàm ipse habet.

Nihilominus non obstantibus hisce contrarium quidam Dd. tenuêre: ex eo quod licet patri competat proprietas & plenum dominium rerum ac bonorum suorum, vti patet *per iam allegata*, tamen cùm spem futuræ successionis legum authoritate
8 subnixam filius habeat, cuius respectu hæreditas paterna quasi debita esse liberis dicitur. *l. si quis agere; & ibi glos. in verb. debita. C. de codicil.* non poterit filius succedens patri contrauenire dictæ debitorum remissioni, sed illa tenebit fauore liberationis secundùm eos, *arg. tex. in l. spem futura.* 3. *C. de donat. l. cum Dominus seruum* 19. *§. final. ff. de pecul. legat. l. penult. ff. de fundo dota. Ita censuit in terminis Specula. tit. de pact. & transact. §. fin. vers. Quid si filius-familias & ibid. additio. Cachera. decis. Pedemonta.* 94. *num.* 21. Verùm *Bartol.* lumen nostri iuris hanc facti speciem examinans *in l. filius-familias. ff. de solut. in princip.* posteaquam arguendo eandem opinionem deduxit, tandem resoluit per iura ac fundamenta ibidem à se deprompta distinguendo dicens sententiam hanc posteriorem tenendam & ample-

ampleċtendam eſſe, cùm ex cauſa oneroſa liberatio facta,& eo nomine à debitoribus per filium aliquid eſt receptum; aliud verò iuris eſſe, ſi ex cauſa lucratiua debitores fuerint liberati, cum quo Bartoli enunciato notabili & multùm ſingulari tranſit ibi *Angel. & cæteri Dd. Paul. & moderni in l. & ſuum hæredem §. fin. ff. de pact. teſte Anton. Gomez. ad l. 22. Tauri, in fine*, vbi ſubiicit quod iſta eſt veritas.

SINGVLARE XIII.

De duplicitate vinculorum attendenda vel non in materia ſucceſſionis ab inteſtato, & ſucceſſione fratrum ab vno latere coniunctorum.

SVMMARIA.

Fratres vtrinque coniuncti in ſucceſſione ab inteſtato conſanguineos vel vterinos tantum antecedunt. num. 1.

Fortius ligant duo vincula quam vnum. Ibid.

Ampliationes dicti principalis, num. 2.

Limitationes. num. 3. & ſeq.

Teſtator cenſetur conformare ſe velle diſpoſitioni iuris communis. d. num. 2.

Subſtitutio habet vim iuris accreſcendi. num. 4.

Subſtitutio dubia ab inſtitutione declaratur. num. 5.

Vinculum inutile non venit in conſiderationem. nu. 6.

Paritas rationis paritatem dispositionis inducit. num. 7. Alia ad materiam spectantia traduntur. num. 8. & seq.

1 FRatres vtrinque coniuncti præferuntur in successione fratris sine testamento defuncti iis, qui ex vno tantùm parente sunt coniuncti, in omnibus bonis per defunctum relictis. *Authent. itaque mortuo. C. commun. de successio. Authent. post fratres. C. de legit. hæred. Francis. Viuius opinio. 334. nu. 1. Capra cons. 8. num. 1. cons. 67. num. 2. Ferrar. in sua practica Papiensi in forma libelli pro hæredib. ab intest. §. nullisque superstitibus ex eo leberis. num. 30. Natt. cons. 395. viso instrumento Guilielmi Mätelli, num. 1. vol. 2. Tiraquel. in tract. de retract. consanguin. §. 14. glos. 2. num. 5. notat Hieron. Magon. decis. Florent. 82. num. 1.* Quia verum est hîc dicere, quod fortius ligant duo vincula quam vnũ, iuxta *l. in adoptiuis. 10. §. si vero pater. C. de adopt. Magon. d. decis. Florent. 28. nu. 2. Cachera. decis. Pedemont. 75. num. 6.*

Amplia primò istã theoricam, vt si quis instituerit
2 fratres suos, vel iis legauerit, vtrinque coniuncti aliis preferantur. Quia testator censetur conformare se voluisse dispositioni iuris communis. *Anton. Gomez. ad l. Tauri 8. nu. 8. aliàs nu. 9. arg. l. peto. 7. §. fratre. ff. de leg. 2. l. cùm ita. 33. §. in fideicommis. eod. tit. l. fin. C. de verbor. significat.*

Quod etiam obtinet in pupillari substitutione, quia simili modo testator censetur ex vtroque latere coniunctum anteferre voluisse. *Io. Dilectus tract. de arte testand. tit. 2. caut. 21. num. 2. per text. d. Authent. Itaque. C. commun. de successio. & Bartol. in l. re coniuncti. col. vlt. ff. de leg. 3.*

Amplia

Amplia secundò, vt filius vel filia fratris vtrinque coniuncti præferatur alteri fratri ex vno tantùm latere coniuncto & sic patruo suo. Nam cùm succedant repræsentando personam sui patris, debent præferri, veluti pater eorum esset præferendus. *text. Authent. cessante.C. de legit. hæred. Anton. Gomez d. loco, num.* 10.

Limita primò, si filios ex diuersis nuptiis procreatos, pater instituat hęredes, eosque inuicem substituat, ad partem deficientis non tantùm vtrinque coniuncti sed omnes superstites æquè debent admitti, quia substitutio habet vim iuris accrescendi. *Dilectus d. cautel.*21.*num.* 1.*per l. cohæredi.* 41. §. *cui discretus.ff. de vulga. & pupilla.* & vbi de iure accrescendi agitur, portio portioni accrescit. *l. si Titio vsusfructus.* 40. §. *fin.ff. de vsufr. Bartol. & Alex. in l. Lucius. in fin. ff de vulga. & pupilla.* 3 4

Sublimita, quando institutio filiorum vtrinque coniunctorum facta est separatim; hoc enim casu substitutio ambigua ac dubia à præcedenti institutione sumit interpretationẽ & declarationẽ. *l. fin. & ibi Dd. ff. ad Trebell. Ias. cons.* 143. *incip. spectabilis, par.* 2. *Dilect. d. caute.*21. *Dec. cons.* 168. *incip. & diligenter. num.* 4. 5

Limita secundò, in materia successionis feudalis. Quia si agatur de successione feudi paterni & antiqui, frater consanguineus tantùm non excluditur per fratres vtrinque coniunctos, vti not. *Io. Schneydwin. in epitome in vsus feudor. tit. de successiõn. collater. l. in feud. num.* 7. *fol.* 530. *citans Bald. & Aluarot.* fertque fundamentalem rationem ab illis traditam: quòd licet in fratre vtrinque coniuncto concurrant duæ qualitates, ius scilicet agnationis & co- 6

 gnationis,

gnationis , tamen altera videlicet cognationis est impertinens,& ideò ex ea non augetur effectus.

Limita tertiò, ſtante ſtatuto *quod aliquo ſine aſcendentibus vel deſcendentibus moriente , ab inteſtato ſuccedant proximiores agnati vſque in tertium gradum, computandum ſecundum ius Canonicum:* Quia ſuccedunt conſanguinei pariter cum fratribus vtrinque coniunctis. *Hieron. Magon. deciſ. Florentin.* 82. *per tot.*

Limita quartò, ſtante ſtatuto *quod bona defuncti peruenient ad proximiores agnatos, iuxta ordinem iuris ciuilis*, quippe non obſtantibus dictis verbis , *iuxta ordinem iuris ciuilis, Alciat. lib.* 2. *reſponſ. tom.* 1. *reſp.* 37. *Statuto caſtri Bellicionis*, tradidit conſanguineos cum vtrinque coniunctis admittendos , eò quòd ſtatutum agnatos proximiores vocans , fauorem agnationis reſpicit ad decus & dignitatem familiarum conſeruandum, & non conſiderat maternam, ſed paternam coniunctionem , quæ ita à fratre patrueli tantum velut ab vtrinque coniuncto conſeruatur : eamque ob cauſam ob paritatem rationis, illius ſtatuti diſpoſitio tam ad cõſanguineum quàm ad vtrinque coniunctum trahi debet , cum paritas rationis paritatem diſpoſitionis inducat. *l. illud quæſitum.* 32. *ff. ad l. Aquil. vlterius firmat Magon. d. deciſ. Florent.* 82.

8 Verùm ſi defunctus ſine fratribus germanis , id eſt, vtrinque coniunctis deceſſit,ſed tantum ſuperſtitibus fratribus vno vterino , altero cõſanguineo, frater conſanguineus, id eſt,ex paterna linea coniunctus ſuccedet in iis , quæ à patre vel eius linea defunctus acquiſiuit;in maternis quæ ſcilicet à matre proueniunt vterinus tantum admittetur,ad cæ-

tera

tera verò bona aliunde acquisita æqualiter vocantur. *Michael Grass. in recept. sentent. §. successio ab intestato, quæst. 32. per glos. d. Auth. post fratres. quam magis communiter sequi Dd. dicit Bologn. ad Mathes. art. 3. num. 18. Corn. ad d. Authent. Itaque & d. Auth. post fratres. quam communem etiam opinionem dicit idem Corn. cons. 266. & cons. 47. vol. 2. Gribald. commun. opin. verb. Fratres. Anton. Rub. cons. 76. Ias. in l. post dotem. ff. solut. matrimon. Couuar. tractat. successio. ab intestat. conclus. 8. num. 8. vers. 3. not. Francis. Viuius commun. opin. 335. num. 1. per multas allegatio. Henricus Boguetus ad consuetud. comitat. Burg. tit. 3. des successions. §. 4. num. 2.* scribens hoc esse quod vulgò dicimus, paterna paternis, materna maternis deferri.

Quod si quis decedat relicto fratre ex vno latere 9 coniuncto, & relictis filiis ex alio fratre similiter ex vno latere coniuncto, tales filij succedunt repræsentando personam patris defuncti, habita tamen bonorum distinctione, quæ in persona eorundem fratrum fieret, si ambo viuerent. *not. Anton. Gomez. ad l. 8. Tauri, num. 10. in fin. Grassus d. quæst. 32. num. 2.*

Quid si tantum extent nepotes, omnes ex vno latere coniuncti? æqualiter succedent tam in bonis maternis quàm paternis. *Henric. Boguet. d. §. 4. nu. 2. Viuius d. opin. 335.* Vbi ait, omnes Dd. ita transire cum *Petro de Bella pertica in d. Auth. itaq; & ita fuisse decisum in Concilio Neapolit. teste Vrsillo ad Afflict. decis. 38. num. 11.* Singularis est limitatio prima & quarta & hic vltimò dictum.

SIN-

SINGVLARE XIIII.

Confinium lucis & tenebrarum.

SVMMARIA.

An delictum in isto confinio commissum, dicatur de die vel de nocte commissum. num. 1.

In ambiguis benigniorem partem amplectimur. nu. 2.

Actus in dubio, licito potius quàm illicito tempore factus præsumitur. num. 3.

1 SI contra illum qui de nocte deliquit, pœnam duplicari voluerint statuentes, & quis in aurora, vel pòst solis occasum deliquit; quæritur an de die, an verò de nocte deliquisse dicatur, & sic an simplici, an verò duplici pœnâ affici debeat? Hanc periculosissimam & intricatissimam esse quæstionem scribit *Francisc. Viuius, decis. Reg. Neapol.* 452. *Quanquam Rota, num.* 1. Omissâ longâ disputatione, quæ super hoc moueri posset, & fluctuantium Dd. argumentis, breuiter dicemus; si quidem super hoc nihil decreuerint statuentes, rem totam ex iudicis arbitrio pendere, cuius erit animaduertere & considerare an tanta claritas esset, vt crimen dicendum sit de die perpetratum fuisse, an tanta obscuritas, vt de nocte dicatur fuisse commissum. In ambiguo autem & dubio casu mitiorem partem amplectetur. Ita resoluit *Iul. Clar. §. fin. pract. crimin. quæst.* 82.

82. vbi agit de pœnis ſtatutariis, *ſtatuto* 9. dicens hanc fuiſſe opinionem *Io. Andreæ in c. perfodiens, de homicid. & communem Canoniſtar. teſte Aug. ad Angel. de malefic. in verb. de nocte. poſt num. 4. illam ſecutos fuiſſe tres D.d. in Regia Camera ſummaria*, *vt refert Afflict. ſuper 1. parte conſtit. Reg. Rubr. 5. num. 9.* Quodque facti contingentiâ occurrente hanc ſententiam ſequeretur. *Idem notat & ita iudicatum ac deciſum fuiſſe per Regiam Audientiam teſtatur Franciſ. Viuius d. deciſ. Reg. Neapol. 452. num. 18. & iſtam deciſionem ſiue ſententiam confirmatam fuiſſe in magna Curia Vicaria, & in ſacro Regio concilio.* Et quidem tam 2
hîc, quàm ſemper in dubiis & ambiguis caſibus attendenda ſunt benigniora, iuxta *l. ſemper in obſcuris. ff. de reg. iur. cum ſimilibus legib. vulgaribus.* & quemadmodum cùm actus poteſt videri factus tempore licito & tempore illicito, ad euitandum delictum, tempore licito factus eſſe cenſetur, vt per 3
multas allegationes tradit *Anton. Gabriel. in ſuis commun. concluſ. libr. 7. tit de maleficiis, concluſ. 2. num. 26. verſ. Duodecimo infertur. Iac. Menoch. lib. 5. præſumpt. 2. num.* 10. *Eman. Soarez in theſaur. recepta. ſentent. verb. Licitum.* ita hoc caſu ad euitandum grauius delictum & maiorem pœnam, id quod clementius, & benignius eſt iuſtè iudex præſumit & ſequitur: eſt reſolutio memorabilis & multùm ſingularis.

SIN-

SINGVLARE XV.

Simonia.

SVMMARIA.

Pœna delicti authorem non debet egredi. num. 1.
Nemo debet alterius odio prægrauari. num. 2.
Simonia per tertium commissa, etiam ignorante resignatario, inficit beneficij resignationem, adeo vt posterior resignatarius præferatur. num. 3.

1 QVamuis hoc sit regulare, quod delictum alicuius alteri nocere non debeat, sed eius pœna non egrediatur authorem, neque alterius odio
2 oporteat aliquem prægrauari. *c. nemo debet, de reg. iur. in 6. cum concordant.* tamen peculiariter in cri-
3 mine simoniæ constitutum est, vt simonia commissa per tertium, etiam ignorante resignatario beneficij, inficiat & vitiet resignationem, ita vt ipso iure sit nulla, ac nullum ius per illam resignatario acquiratur, licet ipse sit positus extra delictum. *text. c. ex insinuatione, & c. nobis. x. de simonia. Nicol. Garcias tract. de benefic. parte 8. c. 1. num. 4. & seqq. vbi tractat materiam.* Vnde secundus resignatarius, cui posteà per simoniacum resignantem est resignatum, ei venit anteponendus, *notanter Crescent. decis. 4. tit. de simonia vbi Domini Rota ita deciderunt. cit. not. per Abba. in c. vlt. in primo not. de elect. Præpos. Alex. in c. ordinationes, col. penul. cum seq. 1. quæst. 1.* Nimirum, quia per simoniacam resignationem ius ab ipso resignante non abdicatur, cùm debeat per Superio-

periorem admitti; qui quidem si notitiam simoniaci facti habuisset; vtique authoritatem suam non interposuisset. *Crescent. d.decis.*4. Hanc canonicam constitutionem habeo pro exorbitanti à communibus iuris regulis, ac omninò pro singulari.

SINGVLARE XVI.

De nepote naturali & spurio ab auo paterno alendis.

SVMMARIA.

*Pater pro filio conueniri non potest. num.*1.
*Pater pro filio condemnatus dotare corruptam & partum alere.num.*2.
*Auus tenetur nepoti naturali ac etiam spurio alimenta subministrare.num.*3.

PAter filij in potestate positi & peculium non 1
habentis nomine conueniri non potest, *vti toto tit. C.ne filius pro patre & ibid. Dd. Io.Schneydwin. ad §.sunt prætereà. num.* 13. *Instit. de actio.* tamen in 2
facti contingentia, cùm filius-famil. puellam corrupisset ex eaque sobolem procreasset, illa autem contra patrem sui corruptoris actione institutâ, & ad dotem sibi constituendum & vt partui alimenta præstaret egisset, in vtrumque ipse pater sententiâ Senatus Subaudiæ fuit condemnatus, saluo sibi iure imputandi filio in legitimam, quicquid hoc nomine

mine præstitisset, teste *Anton. Fabro in suo C. Fabria. d. tit. ne filius pro patre. definit.* 3. eâ fortassis, *inquit*, ratione, quód non tam in pœnam delicti, quàm ad exonerandum conscientiam crimenque purgandum, ea condemnatio spectare videretur.

3 Sanè pro posteriori membro dictæ sententiæ facit, quod non naturali tantùm, sed & spurio nepoti ex filio procreato, auus paternus alimenta præstare tenetur de iure Canonico, vti notat *d. loco Faber. & not. Io. Petr. Surd. tractat. de aliment. tit.* 1. *quæst.* 12. *num.* 6. Quæ dispositio iuris Canonici in vtroque foro venit seruanda, quia per eam corrigitur ius ciuile. *Petr. Duen. reg.* 367. *num.* 1. *&* 7. *per glos. in c. cùm haberet. de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adulter. Dd. ibid. & præcipuè Abb. nu:* 8. *Hanc opinionem dicit esse communem Philip. Decius in c. clerici. num.* 4. *de iudic. & c. in præsentia. num.* 115. *de probat. Hanc etiam opinionem dicit esse communem Francis. de Ripa in repetit. l. si vnquam, quæst.* 27. *num.* 68. *C. de reuoc. donat. & in Rubr. ff. de verb. oblig. nu.* 58. *itemque Io. de Neuiza. in sua sylua nuptiali, lib.* 3. *num.* 25. *teste Duenna d. loco.*

Quæ quidem communis opinio, respectu dictæ alimentationis debitæ, valdè est eximia & singularis, ac menti imprimenda: facilè enim quis contrarium responderet, & malè; vt liquet per iam allegata.

SIN-

SINGVLARE XVII.

Cùm agitur in materia legis secundæ C. de rescind. vendit. & emptor mauult iustum precium supplere, quàm rem (putà feudalem) venditori cedere, alienato lite pendente dominio directo, quæritur num dominicalia iura talis supplementi anteriori, an verò nouo Domino, sint exsoluenda?

DIC quod non antiquo, sed nouo Domino sint præstanda, eâ ratione quod contractus inter partes celebrati sunt diuersi, & huiusmodi supplementum est voluntarium, dependens ex mero arbitrio & velle emptoris, iuxta *text. l. pacta conuenta. 72. ff. de contrah. emption.* tradit singulariter *Ludouic. Charond. en ses responses du droict François, lib. 6. respons. 67.* vbi refert arrestum Parlamenti Parisiensis ad commodum Reginæ Scotiæ pronunciatum 5. Ianuarij 1595. *Idem Charond. lib. 7. respons. 113.* vbi loquitur in casu conductionis factæ de fructibus rei feudalis.

SIN-

SINGVLARE XVIII.

Teſti, vaſallo, procuratori, aduerſario litigatori à latronibus captis, an à producente, Domino, vel parte damnum ſit reficiendum.

SVMMARIA.

Reipublicæ intereſt malis hominibus prouincias expurgari.num. 1.
Vias publicas tutas eſſe, & ſecuras ab omni metu.nu. 2.
Officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum.num. 3.
Caſus fortuitos nemo præſtare tenetur.num. 4.

1 QVamuis Reipubl. plurimum interſit malis hominibus expurgari prouincias, & vias publi-
2 cas ab omni metu & violentia tutas eſſe & conſeruari.*text.l. præſes.* 3. *l. congruit* 13. *ff. de offic. Præſ. l.* 1. *§.* 1. *de his qui deiec. vel effud.* tamen ſiue Officialium negligentiâ, ſiue perditâ & profligatâ aliquorum improbiſſimorum hominum audaciâ interdum accidit, vt etiam in iis viatoribus vis inferatur. Itaque ſi huiuſmodi caſus euenerit, & teſtis ad dicendum teſtimonium vocatus, in tales viarum obſeſſores aut latrones inciderit, fueritque rebus ſuis ſpoliatus, dubitari contingit, an illum producens illatum damnum præſtare ac refundere teneatur.

Et

Et poterat videri quod sic, cum nemo ex suo officio debeat damnum sentire *l. dictantibus. 22. C. de testam.* Veruntamen contrarium & quod iste casus ad onus ac detrimentum spoliati testis veniat, neque per producẽtem debeat reparari, notat *Io. Petr. Surd. tractat. de aliment. tit. 1. quæst. 62. num. 4. ex Feli. in c. 1. de test. qui ibi num. 2.* tradit, hoc procedere de rigore iustitiæ, sed de curialitate producentem benè posse emendare damnum, nec propterea testimonium infringi, citat *Bald. ad d. c. 1. alleg. l. inter causas. §. non omnia. ff. manda. l. si seruus. §. quod vero. ff. de furt. Eandem negatiuam not. Surd. d. quæst. 62. num. 10. probari à Franch. in c. statutum. §. proferendo, de rescript. in 6. vbi post Bald. in l. fin. in fi. C. de fruct. & lit. expens.* dicit eum tradere, quod huiusmodi damnum testis à litigantibus non recipit, eò quod hoc nimis iis esset damnosum. Addi potest illa ratio, quod huiusmodi casus pro fortuitis sint habendi, quos nemo tenetur præstare. *text. l. contractus. 24. ff. de reg. iur. d. l. inter causas, §. non omnia.* 4

Sic tenent Dd. si Vasallus vadit ad seruitia Domini, & in itinere derobatur, non tenetur ei Dominus ad illud emendandum, quia casu fortuito euenit. Quamuis Dominus porrò discretè faceret & ex humanitatis ratione compatiendo ei in emendando damnum, iuxta gloss. *in d. l. inter causas, in verb. mandato. addit. ad Felin. c. vlt. de test. in verb. ambasiator. litera A. not. Io. Schneydewin. prius membrum huius dicti in epitome ad vsus feudo. parte 5. num. 109.*

Eodem modo procurator dum mandatum exequitur si sit spoliatus, aut res eius perierint, aut languore suo suorumve detentus quædam erogauit, in

puncto iuris non tenetur mandans hoc ei compensare, *text. d. §. non omnia.* Similiter si vnus litigantium dum ad iudicium proficiscitur in latrones incidat, & ita supellectilem ac pecunias amittat, aduersarius ad interesse resarciendum non est obligatus. *Io. Garsias de expens. & meliorat. cap. 21. num. 9. ex doctrina Specul. tit. de salariis. §. 1. in princ.* ad quem se remittit. Quæ omnia dicta sunt pulchra & singularia.

SINGVLARE XIX.

De obligatione mandatoris ex mandatarij delicto.

SVMMARIA.

In obligatione generali non veniunt ea, quæ quis in specie non fuisset obligaturus. num. 1.

In mandato generali non venit delictum. num. 2.

Procurator non facit dominum pœnam incurrere negando vel plus quam ei debetur petendo. num. 3.

Exactor Principis cum mandato compellendi debitores ad soluendum omni coertione qua sibi videbitur, debet seruare consuetudinem in exigendo. num. 4.

Non debet inde nasci iniuria, vnde iura oriuntur. num. 5.

Mandans illicitum, omnia illa mandasse videtur, quæ verisimiliter delictum poterant concomitari. nu. 6.

Protestatio contraria facto, non iuuat protestantem. num. 7.

Qui

Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. num. 8.

Delinquens grauius quam proposuerat an teneatur. num. 9.

Consilium & casus à Praes. Eucrardi resolutus applicatur. num. 10.

Mandans vulnerare cum gladio tenetur de occiso, quem mandatarius interfecit. num. 11.

QVemadmodum in obligatione generali, non venit quod verisimiliter quis in specie non fuisset obligaturus. *l. obligatione. generali. 6. ff. de pignor. c. in generali, de reg. iur. in 6. Crescent. decis. 4. tit. de sentent. & re ind. per d. l. obligatione. c. fin. de offic. Vicarij. in 6. gloss. in l. fin. ff. de pact.* sic in generali 1
mandato delictum non continetur. *Francis. Viuius* 2
decis. Reg. Neapol. 339. nu. 29. vbi loquitur in mandato Principis citans *l. si procurator. 6. & ibid. Dd. ff. de condict. indeb. Emanuel Soarez in thesaur. recept. sentent. verb. Procurator. num. 309. commune ponit ex Iaso. in l. quae acta. num. 21. & 24. ff. de offic. proconsf. Elbert. Leon. consf. 69. vers. & si studiosa.*

Itaque procurator habens mandatum generale, 3
etiam positionibus respondendi non facit Dominum in poenam cadere sua negatione, neque enim in tali mandato venit authoritas faciendi incidere in poenam principales. *Ioseph. Ludouici decis. Lucens. 50. in fin. per doctrinam Alex. cons. 83. libr. 6. 8. & cons. 188. in fin. libr. 3. Idem Ioseph. Ludouici decis. Perusi. 51. num. 1. parte 1. Idem commun. conclus. 46. num. 52. Emanuel Soarez in thesaur. recept. sentent. d. verb. Procurator. & num. 309. Roland. à Valle cons. 71. num. 42. vol. 1.*

Item si procurator plus debito petierit, principalis in pœnam non est condemnandus, quia ad hoc mandatum habere non censetur. *Alex. cons. 73. libr. 6. Bero. consil. 188. in fin. Ios. Ludouic. decis. Vmbriæ 51. num. 5. Viuius opin. 404. num. 21.*

4 Si Princeps proprio exactori mandet, vt debitores ad solutionem & satisfactionem faciendum compellat omni coertione qua sibi videbitur, nihilominus exactor ille tenetur seruare legẽ & consuetudinem municipalem in exigendo, neque potest pro sua voluntate & libidine in debitores grassari. *Iac. Menoch. lib. 1. de arbitrar. iudic. quæst. 71. num. 12. Soci. in suis fallent. reg. 58. incip. commissio facta. vers. secundo fallit, per not. in l. 1. C. si propter publ.*
5 *pensitatio.* neque mirum. Quia non debet inde nasci iniuria, vnde iura oriuntur. *l. meminerint. 6. C. vnde vi.*

Quare per prædicta videtur, quod mandatario delinquente, mandans omninò & absolutè non teneatur neque possit conueniri, eò quòd mandatum excedere censeatur mandatarius delinquens, quod tamen cum sit stricti iuris vltra suam formam non ligat mandatorem & ad vnguem seruari debet *l. diligenter. 5. ff. mandati.*

Super quo notanda venit insignis fallentia, quam hic pro singulari ponimus. Quod imò cum aliquid à iure prohibitum mandatur tunc mandans tenetur. *l. non solum. 11. §. si mandato. ff. de iniur.* etiam de excessu mandatarij, etiam si limitatum fuit
6 mandatum *c. final. de homicid. in 6.* mandando enim quis illicitum videtur omnia mandasse, quæ probabiliter poterant concomitari, nec prodest limitatio adiecta seu inhibitio tanquam contraria mandato

dato

dato, vt tradit *Præſ. Euerardi conſ.* 4. *num.* 14. *&* 15. *arg. l.* 1. *C. de furt.* non magis quam proteſtatio contraria facto, quę non iuuat neq; releuat proteſtantem. *c. ſollicitudinem de appellatio. l. olim cauſam, gloſ. ibid. in verb. proteſtatus, de cenſibus.* 7

Item quia in criminalibus negociis, & maximè quidem in atrocibus generaliter verum eſt, quod is qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur *Petr. Peckius ad c. qui facit per alium. num.* 2. *de reg. iur. in* 6. *l. is qui ff. mandati l. nihil intereſt.* 15. *ff. ad l. Cornel. de Sicar.* cui dicto affine eſt, quod vbicumque committens maleficium minus voluit delinquere, & plus deliquit, ſi potuit cogitare quod ex minore delicto quod facere inſtituit, poterat veriſimiliter etiam maius delictum ſequi, eo nomine tenetur. *Idem Peckius ad d. c. nullus ex conſilio, num.* 12. *de reg iur. in* 6. 8 9

Hinc Præſes *Euerard. conſ.* 4. conſuluit, quod cum quidam literas repreſſaliarum contra Scotos exequendas à Principe impetraſſet, & non per ipſius Principis officiales vti debebat eaſdem exequi curaſſet, ſed ad illum effectum pactis quibuſdam cum pyrata initis, illum naui præfeciſſet; conſuluit, damnum omne quod prætextu dictarum literarum & mandati præfatus pyrata non Scotis, ſed Francis in eorum rebus & naui violenter intulerat, à prædicto impetrante & committente eſſe reſarciendum. 10

Hinc eſt, quod mandans cum gladio vulnerare, ſi mandatarius non vulneret tantum, ſed occidat, ipſe mandans tenetur ordinaria homicidij pœna iuxta notabilem doctrinam *Iul. Clar. lib.* 5. *recepta. ſentent. quæſt.* 89. *num.* 5. 11

SINGVLARE XX.

De debitore, qui non soluendo existens, vni ex creditoribus satisfecit.

QVamuis debitor sciens se non esse soluendo vni ex creditoribus suis non petenti, & gratificandi animo satisfacere non possit in præiudicium aliorum: tamen is cui tali euentu solutio facta est, in conscientia ad restitutionem accepti aliis creditoribus non tenetur, cum rem alteri obligatam, vel acceptam non acceperit Quod dictum amplia etiamsi alij creditores priuilegio personali prælationis sine hypotheca tamen emineant, ita reiecta contraria opinione tenet ac firmat *Leonard. Lessius tractat. de iust. & iure libr. 2. cap. 15. dubit. 5. num. 40. & 41. ex l. qui autem, aliàs quod autem. 6. ff. quæ in fraud. credit. Molina disputat. 536.* Item intellige nisi tale debitum per gratificationem solutum à iudice & iudiciali via reuocetur: eatenus enim poterit creditor retinere, vt in *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. cred. Lessius ibi supra*, est singulare dictum, & sic in facti contingentia consului.

SIN-

SINGVLARE XXI.

De curruum duorum concursu inter viarum angusta, & quem retrocedere oporteat.

INterdum euenit, vt vbi viæ sunt angustiores, aurigæ ob iter distortum alij alios non animaduertentes, transitu impediantur; Quare hac occasione vehementissimæ nonnunquam altercationes, lites & iurgia vsque ad vulnera & etiam cædem oriuntur, dum se mutuo iniuriosis & probrosis compellationibus ac clamoribus incessunt, neuterque obuiantium currum retrò vult ducere. Memineris & animo insculpas, in huiusmodi facti specie potiorem eius condicionem, illiq; de iure cedendum esse, qui viam prior ingressus fuerit; cum quod in publicos vsus destinatum est, id primò occupanti concedatur. Quamuis interim discretionis ratione & seposito hoc iuris rigore, ei qui maiori onere grauatur sæpius parci soleat, idque frequentiori vsu sit receptum teste *Dionys. Pontan. ad tit. 13. §. 171 consuetud. Blesen.* Huc spectat, quod si duæ paræciæ in supplicationibus solemnibus (quas processiones vocamus) sibi obuiæ fiant, illi quæ prior viam inierit, præitio sit concedenda, nisi altera paræcia præscriptionis beneficio iuuaretur, vel dignitate præcelleret; quibus casibus illi paræciæ, quæ etiam posterior viam foret ingressa, in progressu & anteitione esset fauendum, iuxta doctrinam pulchram &

singularem *Renati Choppin. ad ll. Andium libr. 1. cap. 60. num. 1.*

SINGVLARE XXII.

De actione hypothecaria legatariis pro legato & creditoribus hæreditariis pro suo credito competente, & hæredum obligatione.

SVMMARIA.

Hæres à legatario conueniri potest pro ea parte qua est hæres, neque vlterius tenetur, dato etiam quod contra eum agatur hypothecaria actione. num. 1.

Hæredes qui non sunt soluendo cohæredes non grauant. num. 2.

Quamuis testator voluerit & præceperit vt vnus hæredum satisfaciat creditori, non poterit tamen à creditore in solidum conueniri. num. 4.

Fallentia dua ad præmissa. nu. 5.

Pignoris obligatio est indiuidua. num. 6.

1 HÆredes cum legatum est diuiduum tenentur ad eius satisfactionem pro hæreditaria sua parte, neque tamen pro iis qui soluendo non sunt, alij onerantur. *text. l. legatorum. 34. aliàs l. idem respondit. ff. de leg. 2. l. solent. 3. ff. de aliment. & cibar. legat.* Amplia istam positionem; etiamsi hypothecaria actione per legatarios conueniantur, quia ea non competit, nisi pro illa parte, pro qua competit personalis text. express. & singularis *l. vn. vers. final. C. commun.*

commun. de legat. & ibi communiter Dd. not. Anton. Gomez variar. resolut. tom. 1. cap. 12. num. 7. vbi materiam vlterius declarat.

Eodem modo regulariter ob alia debita defuncti pro rata suæ hæreditariç portionis hæredes conueniuntur, quia obligatio inter illos ipso iure diuisa est *l. pro hæreditariis 2. C. de hæredita. actio.* & si aliqui eorum non soluẽdo efficiuntur alios non grauant, neque pro iis tenentur cohæredes. *Stepha. Gratia. decis. Rotæ prouinciæ Marchiæ. 146. num. 5. 6. Anton. Gomez. resolut. tom. 2. cap. 10. de indiuiduis. num. 4. Petr. Cyn. Alberic. Bald. Salicet. ad l. final. C. depositi.* Quod adeò verum est, vt quamuis testator vnum hæredem grauauerit, vt ipse solus totum debitum soluat creditori, non possit tamen creditor in solidum cõtra eum agere, sed pro parte contra omnes, cum iam vti dictum est, per legem obligatio fuerit diuisa, licet in huiusmodi casu alij cohæredes cõtra grauatum pro suo interesse agere possint. text. expressus, rotundus identidem singularis *in l. seruo legato. 72. §. si testator. ff. de leg. 1. ibi not. & commendat Bald. Paul. Imola & communiter Dd. moderni.* 2 3 4

Fallunt tamen præmissa in causa dotis, cum testator vnum ex hæredibus grauauit illum vxori restituere, nam in solidum rectè conuenietur. *l. cum ab vno. 55. ff. de legat. 2.* 5

Fallunt etiam cum pignus vel hypothecam à defuncto constitutam aliquis hæredum possidet, quia itidem solus possessor tali respectu iure conuenitur *text. d. l. pro hæreditariis. C. de hereditar. actio. Anton. Faber in C. Fabria. tit. de pignoribus, definit. 5. Io. Papon lib. 11. tit. 3. d'hypotecques arr. 7. Idem Papon libr. 18. tit. 5. arr. 5.* obligatio enim pignoris 6

indiuidua

indiuidua est. l. rem hæreditariam. 65. ff. de euiction. Io. Gallus quæst. 64. tene menti.

SINGVLARE XXIII.

Pœna exilij legem non seruantis.

SI quis per sententiam iudicis in exilium fuerit missus, & tamen spreta iudiciali authoritate in patriam redit, si quidem decennio iussus erat exulare, duplicabitur spacium temporis, quod restabat ad exulandum, cum exilium fregit. Si per decennium vel vltrà, exilium perpetuabitur; si perpetuo in exilium fuit missus, plectendus est pœna mortis. Notat singulariter *Iul. Clarus receptar. sentent. libr. 5. §. fin. pract. criminal. quæst. 71. num. 13. item Anton. Gomez. cap. 8. delictorum. num. 1.*

SINGVLARE XXIIII.

An legatum annui reditus valeat, si illum debitor viuo testatore redemerit, & ex sorte precij inde redacti testator alium emerit.

CVm testator Seio annuum quendam reditum legati titulo reliquisset, ipso testatore adhuc viuente

viuente debitor facultatibus auctus, ſortem ei refudit & ab hoc ære alieno ſe liberauit. Teſtator prędictam ſortem in alterius pecuniarij reditus emptionem impendit, & nulla vlteriori facta diſpoſitione è viuis exceſſit: Modò fuit quæſitum an vigore legati poſterior hic reditus deberetur, & legatario præſtandus eſſet, an verò omninò legatum pro reſoluto ſiue extincto eſſet habendū. Reſpondi poſteriorem reditum tanquam in anterioris locum ſuffectum ac ſurrogatum pręſtari debere. Nam cum debitor pecuniam vltrò obtulit, non potuit eius oblationem & ſolutionem creditor renuere, ideoq; beneficam erga legatarium voluntatem mutaſſe dicendus non eſt, per text. elegantem & ſingularem in *l. filia ſuæ.* 28. §. 1. *ff. de condic. & demonſtrat. Renat. Choppin. in cōmentar. ad ll. Andium libr.* 3. *tit.* 4. *num* 17. vbi multum notanter atque ampliatiuè loquitur in caſu, quo ſorti ex reditus huiuſmodi luitione redactæ teſtator vlteriorem ſummam pecuniæ adiecit, & ſic vberiorem & ampliorem reditum comparauit, deberi legatario nouum reditum, vſque ad præmemoratæ ſortis quantitatem, tamquam in prioris legati reditus locum ac vicem ſucceſſerit, & teſtificatur Curiam Pariſienſem anno 1582. ita arreſto definiuiſſe, quod arreſtum ac dictum eſt multum practicum & ſingulare.

SIN-

SINGVLARE XXV.

De quarta vxori inopi in bonis defuncti mariti competente.

SVMMARIA.

Vidua retinet familiam, ciuitatem, domicilium, nobilitatem & priuilegia maritalia. num. 1.
Quamuis plebeis parentibus sit oriunda. num. 2.
Authent. præterea. C. vnde vir & vxor. num. 3.
Ampliationes d. Authent. num. 4. & seqq.
Limitationes d. Authent. num. 8. & seqq.
Exigua dos non dicitur dos. num. 5.
Parum & nihil in iure æquiparantur. num. 6.
Subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum est subrogatum. num. 7.
Quis pauper vel locuples sit dicendus, ex arbitrio iudicis dependet. num. 9.
Pro paupere non habetur, qui potest esse diues si velit vti suo iure. num. 10.

QVia multa ac varia sunt matrimonij onera & molestiæ, honore atque adeo præmio dignæ sunt mulieres, quæ matrimonialem statum laudabiliter transegerunt, & castè atque honestè viduitatem
1 conseruant. Hinc est, quod legum conditores eas variis prærogatiuis voluerunt decoratas & ornatas esse. Hinc est, quod vidua familiam, ciuitatem & domicilium defuncti coniugis retinet. *Andr. Tiraquel. tract. de nobilitat. c. 18. nu. 6.* Item quod eius nobi-

nobilitate & priuilegiis gaudeat, quamuis sit plebeis oriunda. *l. cum te* 10. *C. de nupt. l. fœmina.* 8. *ff. de Senator. l. mulieres.* 13. *C. de dignitat. lib.* 12. *l. final. C. de incol. lib.* 10. *Tiraquel. d. c.* 18. *nu.* 5. *Guid. Pap. quæst.* 379. *per tot. & seq.* 2

Item, quia probrosum ac cõtumeliosum foret, defuncti hæredes eius opibus ac copiis splendide ditatos esse, & quondam eius vxorem egestate & inopia miserum in modum sordescere & squallere, hoc quoque casu legislator ei benignissimè consuluit. Sancitum est enim si maritus diues decedat, & vxorem indotatam ac pauperem relinquat, tunc si liberi sunt tres aut pauciores sui vel diuersi matrimonij cum iis in quartam succedit. Quod si sint plures in virilem portionem, ita tamen vt eiusdem matrimonij liberis proprietatem seruet, si extiterint: his verò non extãtibus, vel si nullos habuerit, etiã dominio potietur. *Authent. præterea C. vnde vir & vxor.* 3

Quam *Authent.* amplia primò, vt locum etiam habeat in viro, ratione correlatiuorum, *vt per gloss. ibid. in princip.* 4

Amplia secundò, vt etiam modica & exigua admodum dote mulieri constituta obtineat, quia illa non venit appellatione dotis, vt notatur *libr.* 4. *regular. vtriusq; iuris Ciuil. & Pontific. verb. Dos non minuitur ex Sebastia. Medic. reg.* 6. *Bartol. ad hanc Authent. Salicet. & Roman. in l. diuortio. ff. solut. matrimon.* Quia parum & nihil æquiparantur. *Iac. Menoch. lib.* 6. *præsumpt.* 29. *num.* 25. *Io. Dilect. de arte testan. tit.* 6. *caute.* 20. *nu.* 1. *notatur lib.* 13. *dicta. regula. vtriusq; iuris verb. obscurum ex Cephal. consi.* 179. *num.* 16. *Corn. consi.* 29. *vol.* 3. *Ias. in l. cætera num.* 7. *ff. de lega.* 1. *Socin. iun. in l. stipulatio hoc modo nu.* 23. *ff. de verbo. obligat.* 5 6

Amplia

Amplia tertiò, quod possit vxor agere ad dictæ quartæ supplementum, quamuis per coniugem defunctum ei alimenta fuerint relicta. *Io. Petr. Surdus tractat. de aliment. tit. 9. quæst. 29.* vbi per totum super hoc disputat in vtramq; partem Dd. adducens, & quamuis eo loco in contrarium inclinet, dicit tamen, ex quo plures hanc affirmatiuam sustinent, difficulter aliud in iudicio obtentum iri. Eandem affirmatiuam opinionem fatetur esse veriorem & ipse firmat soluens argumenta contraria, *eodem tractat. & tit. quæst. 35.*

Amplia quartò, quod dicta quarta debetur ex bonis mariti diuitis & peti potest, etiamsi post eius mortem mulieri superueniant diuitiæ, *Surd. d. tractat. de aliment. & tit. 9. quæst. 35. num. 21. 24. & ibid. in fine.* Vbi loquitur de actione vel facultate consequendi alimenta mortuo marito superueniente latè *Dec. cons. 24. & pro virili. Peckius ad c. factum legitimè. num. 1. de reg. iur. in 6. Io. Dilect. de arte testandi tit. 6. caute. 20. per l. final. ff. vnde liberi.*

Amplia quintò, vt confiscatis mariti bonis, vxor ex *d. Authent.* conditione legis hunc quadrantem bonorum mariti petere valeat, cum debeatur ex
7 legis prouisione, & quidem necessariò debeatur sicut legitima liberis. *Andr. Gail. libr. 2. obseruat. 86. num. 17.*

Amplia sextò, quia talis quarta succedit in locum deficientis dotis, & ideò eodem priuilegio gaudet, ex regula vulgata, quod subrogatum sapit naturam eius in cuius locum subrogatur. *Andr. Gail. d. obs. 86. num. 17. per text. l. si eum indicio. 10. §. qui iniuriarum. ff. si quis cautio. Socin. sent. cons. 121. num. 11. & per tot. vol. 4. incip. præmittenda est, & cons.*

cons. 180. num. 1. vol. 1. incip. in hac consultatione , & *dicit Andr. Gail. loco citato Dd. ita communiter concludere in d. Authent. praeterea.*

Amplia septimò, vt testator praememoratam quartam grauare non possit. *Andr. Gail. libr. 2. obseruat. 119. num. 2. post Socin. d. cons. 121. vbi inquit, omnino vide.*

Amplia octauò, vt multo minus testator vxorem ea priuare possit *Io. Petr. Surd. tractat. de aliment. tit. 9. quaest. 35. num. 10. per magnas allegationes, vbi itidem num.* 11. tradit, quod maritus vxorem à petendo supplementum quartae non possit excludere, quamuis aliquid legando plus petere prohibeat, *& late firmat num. seq. Io. Dilect. de arte testandi tit. 6. cautel. 20. num. 2. ibi tamen num.* 3. tradit, quod liberis vel agnatis inter viuos bona sua quis possit donare, vsufructu sibi reseruato *l. quisquis. 28. C. de donat.* & quod tum vxor non habebit querelam inofficiosae donationis, iuxta *Corn. & Dec. in d. Authent. praeterea*, & dicit firmari per dicta *Socini cons. 108. in hac consultatione & dicta per Corn. consil. 178. in hac consultatione lib. 2. & Socin. cons. 48. Capio primum. col. 2.* subiiciens, quod humanè faciet donator si legem donationi adiiciat, quod donatarius vxori sui donatoris alimenta suppeditabit dum erit vidua, eo quod aequitas suggerit, vt ex viri fortunis vxor alimenta percipiat. *l. si cum dotem. 22. §. sin autem in saeuissimo, ibi glos. in verb. dotis quantitatem. ff. solut. matrim.* quae cautela an sit tuta, altioris videtur esse indagationis. 8

Limita primò *d. Authent.* in muliere dotata, & quae non laboret nouissima inopia, quamuis eius dos non sufficiat ad alimenta condecentia honorifica

fica, & qualia viuente marito solebat habere: requiritur enim quod dos sit minima, vt pro dote non reputetur, & aliàs est secus. *Io. Petr. Surd decis. Mantua. 61. num. 21. & per tot.* vbi est casus & decisio in terminis.

Limita secundò, si quid ei per maritum fuerit legatum, quia id imputatur in vxoriam portionem. *text. d. Authent. præterea, in fin.*

Limita tertiò, quia an pauper an locuples maritus sit censendus pendet ex arbitrio iudicis, *glos. d. Authent. in verb. locuples, arg. l. tam dementis. 21.*
9 *C. de Episcop. audient.* quam opinionem tamquam generalem in omni materia & apud Dd. receptiorem tradit *Iac. Menoch. tractat. de arbitrar. iudic. casu. 65. num. 7. libr. 2. Dec. cons. 163. num. 7. Didac. Couuar. libr. 2. Variar. resolut. cap. 6. num. 8.*

Limita quartò, si vxor ex operis suis victum sibi possit comparare, & sine dedecore operari. *Surd. d. decis. Mantua. 61. num. 12.*

Limita quintò, si habeat patrem diuitem: *Cuman. in l. in suis. ff. de liber. & posthum. Dec. alios allegans in d. Authent. præterea. num. 10. Cephal. cons. 244. num. 20.* vel si habeat fratrem locupletem. *Roland. à Valle cons. 14. num. 19. & 33. vol. 3.*

Limita sextò, si viuo marito ius aliquod vxori ex vltima voluntate deferatur vel etiam inter viuos, quod sufficeret ad eius alimenta, non posset illud vxor post mortem mariti repudiare, vt petat
10 supradictam quartam. Quia iustus iudex pauperem eam non esse arbitrabitur, quæ possit esse diues si iure suo velit vti, & actiones sibi competentes exercere, firmat fundamentaliter *Surd. d. tit. 9. quæst. 35. num. 34. & seqq.*

Limita

Limita ſeptimò, quia ſi dicta quarta non ſufficiat ad alimenta vxori, non eſſet augenda, *Surd. d. tit. 9. quaſt. 35. num. 15.*

Limita octauò, ſi vidua viuat luxuriosè & impudicè poſt obitum mariti, eo enim caſu amittit quartam, vt cōcludit *Lupus in repetit. Rubr. de donat. inter vir. & vxor. teſte Surd. deciſ. Mantua. 61. nu. 8.* Ampliationes prædictæ *Authent.* prima & quarta, limitationes verò prima, quarta, quinta & ſeptima, ſunt ſingulares, inprimis memoria dignæ.

SINGVLARE XXVI.

Si legalis vel ſtatutaria pœna in delinquente locum habere non poſſit, quid iudici ſtatuendum.

SVMMARIA.

Si falſi pœna quis affici non poſſit, ex arbitrio iudicis punietur. num. 1.

Cum ob aliquam cauſam malefactor pœna ordinaria legis vel ſtatuti plecti non poteſt, extraordinariè plectetur. num. 2.

Si delinquenti ex conſtitutione Principis manus ſit amputanda, & vnicam ſolum habeat, num ea amputabitur? num. 3.

Pœna debet æquari & commenſurari delicto. nu. 4.

Si ex ſtatuto delinquens veniat excæcandus & ſit cæcus, mutabitur pœna. num. 5.

EVeniente casu quod delinquens legis vel statuti pœna affici non possit, iudex pro facti & personarum qualitate arbitrariã pœnam imponet, vti per subiecta exempla clarius patefiet.

1 Pone casum. Regulariter liberi hominis, qui falsi crimine se adstrinxit, pœna est deportatio & publicatio omniũ bonorum, in seruo pœna mortis. *l.* 1. §. *final. ff. ad l. Cornel. de fals.* fortè ciuitas in qua falsarius venit puniendus, non habet aliquas insulas, in quas delinquens deportetur, itemq; non passim habet locum publicatio omnium bonorũ, propter *Authent. bona damnatorum. C. de bon. proscript.* punietur ergo ex iudicis arbitrio vti dictum est. *arg. l. hos*

2 *accusare.* 12. §. *omnibus. ff. de accusat.* vbi dicitur quod cum delinquens ob aliquam causam pœna legis puniri non potest, iudex arbitrium suum interponet. *l. hodie.* 13. *& ibi glos. in verb. extra ordinem. ff. de pœn. notat Antonius Gomez. ad l. Tauri.* 83. *num.* 13.

Item dicitur in §. *si quis alium, tit. de pace tenenda & eius violator. in vsibus feudor.* quod vulnerans aliquẽ pace iam proclamata, manus amissione sit ple-

3 ctendus. Pone casum, quod vnicam habeat manum qui huiusmodi pœnam incurrit, an ea sit truncandus? Dic quod non, quia is cui vna tantum est manus, si illa ei amputetur, grauius proculdubio & acerbius punitur, quam si haberet duas. *arg. l. illicitas* 6. §. *& ne tenuis, in verb. vnico lumine. ff. de*

4 *offic. Præs.* & sic pœna delictum excederet, quæ tamen ei debet commensurari & conuenire *l. sancimus* 22. *C. de pœn. cap. non afferamus.* 24. *quæst.* 1. Vnde æquabilior est eorum Dd. opinio, qui tradunt, quod huiusmodi delinquens alia pœna erit

ple-

plectendus, quodque talis constitutio pœnalis intelligitur locum habere & procedere in eo, qui duas manus habet. ita *Io. Sichardus ad Auth. sed nouo iure. C. de seru. fugit. nu. 9. & seq. fac. Iul. Clarus lib. 5. recepta. sentent. §. final. pract. crimin. quæst. 85. num. 11.*

Similiter stante statuto, quod pro delicto debeat quis excæcari, si cæcus illud committat, oportebit pœnam statuti in aliam commutari. *Præs. Euerard. in loco legali à priuatione ad habitum. 26. num. 5. per l. 2. & ibi Cyn. Angel. Salicet. Io. Fabr. in breuiario. C. vt intra cert. tempus criminalis quæstio terminet. Io. Andr. in reg. nemo ad impossibile, de reg. iur. in 6. Mercur. per notata glos. in c. si compromissarius, de elect. in 6. cum ibi nota. per Io. Andrea in Nouel. Petr. de Anchara. Domin. Philip. Francum & alios Dd.* & ista sunt dicta multùm pulchra & singularia. 5

SINGVLARE XXVII.

Patronis diuersos ad vacans beneficium præsentantibus quid iuris.

SVMMARIA.

Quid iuris si patroni sint plures. num. 1.
Si duo tantum inter se dissidentes. num. 2.
Si masculus & fœmina & sint discordes. num. 3.
Quilibet Christianus est capax iuris patronatus. nu. 4.

Etiam meretrix. num. 5.
Etiam spurius. num. 6.
Viri sunt circumspectiores quam fœminæ. num. 7.
Mulieres dicuntur habere cor instabile & momentaneum. num. 8.
Maior in viris quam in fœminis dignitas. num. 9.
Cum ius præsentandi venit ratione rerum dotalium, non vxor, sed maritus eo iure vtetur. num. 10.

1 SI patroni sint plures, & de præsentando ad vacans beneficium inter se dissentiant, instituen-
2 dus est is in quem plures consentiunt *c. quoniam, de iure patronat.* Sed quia duo interdum existunt, si eorum alter Seium, alter Sempronium præsentet, collator potest conferre cui mauult: imò hoc casu probabile est, Episcopum etiam conferre posse alicui tertio Quippe patronis inter se discordibus, ius non cogit illum instituere alterutrum ex præsentatis. *Leonard. Lessius tract. de iustit. & iure lib. 2. cap. 34. dub. 8.* ex doctrina singulari *Silu. & Panormit.*
3 Quid si duo sint patroni Ecclesię masculus & fœmina, & in præsentando non conueniant? quili-
4 bet enim Christianus est capax & habilis ad obtinendum ius patronatus *c. pia mentis. c. Fulgetius aliàs Frigentius 16. quæst. 7.* & etiam mulier potest esse patrona Ecclesiæ *c. ex literis, de iure patrona. glos. c. quo-*
5 *niam verb. fœmina 16. quæst. 7.* etiam meretrix, vti firmat multis *Francis. Viuius decis. Regni Neapol. 134.*
6 *per tot.* & spurius, *iuxta eundem d. decis. 134. in fi. Dd. in c. cum sæculum, de iure patronat. Gemin. Præpos. & Cardinal. in c. lege Imperatorum 10. distinct. Roch. à Curte in tractat. de iure patronat. in verb. competens alicui in 2. quæst.*

Dic

Dic in proposito themate, quod præferetur is qui est præsentatus à masculo, *per text. notab. in l.* 1. *ff. de Senator.* est traditio singularis & insignis *Hieron. Chas.balon addit. ad Dec. in l. fœmina, num.* 44. *litera A. ff. de reg. iur. cit. Bald. in d. l.* 1. *ff. de Senat. Franc. de Are. & Felin. in c. quoniam in fine, de test. notat Io. Crotus tractat. de testibus, qui habetur inter tractatus diuersor. de test. parte* 3. *num.* 52. In viris enim cum ma- 7
ior sit prouidentia, circumspectio, discretio & prudentia, melius norunt præuidere & pōderare quem ministrum Ecclesiæ expediat præficere; quàm mulieres, quæ consilio sunt inualidæ iuxta *Bald. in c.* 8
significauit col. 1. *de rescript. Io. Petr. Surd. decis. Mantua.* 26. *num.* 39. quæque dicuntur habere cor momentaneum & instabile *l. filia* 20. *C. de inoffic. testam. c. forus, de verbo. signific.* adde quod maioris sint di- 9
gnitatis viri, quam mulieres, *d. l.* 1. *ff. de Senator.*

Quid si maritus, qui viuente vxore Dominus 10
est rerum dotalium *l. doce ancillam.* 9. *& ibi glos. in verb. nequisse C. de rei vendic.* aliquem præsentet, & alium eius vxor, vter præsentatorum obtinebit & veniet instituendus? quod præsentatus per vxorem traditur *decis. Rotæ* 422. *in nouissimis, aut potius ab eius compilatore, per nota. Io. Andrea in Nouel. in simili quæstio. de Tutore & pupillo præsentantibus in c. ex eo quod, de elect. in* 6. *Idem not. Petrus de Moncada additio. ad d. tractat. Io. Croti de testib. & partem* 3. *in verb. à masculo num.* 138. *& eandem sententiam alij sunt amplexi, quos recenset Nicolaus Garcias Canonista eximius tracta. de beneficiis parte* 5. *cap.* 9. *num.* 178. *&* 181. *vbi hanc quæstionem egregiè & ex professo discutit*, tandem prædicta opinione reiecta & contrariis argumentis refutatis, firmat soli marito ius præ-

ſentandi effectualiter competere, idque dicto præſertim fundamento, quod cum in maritum tranſeat dominium rerum dotalium, conſequenter & ius patronatus iis annexum tranſmitti oporteat *c. cum ſæculum, de iure patrona.* vbi ius illud tranſit cum vniuerſitate. *Idem tradunt Rebuff. tract. de nominat. quæſt. 17. num. 56. vbi tamen in fine addit plenè ſuper hoc ſcribere Paulum de Leazarius ibi à ſe citatum. Tiraquell. latè diſſerens poſt ll. connubial. gloſ. vlt. in verb. ne les ſiens propres, nu. 5. & ſeq. Idem cum dictum ius patronatus eſt adhærens certo loco, caſtro, vel fundo dotali cenſuit Io. Gutierrez tractat. de tutel. parte 3. cap. 29. num. 3.* Quam doctrinam, quia ad praxim quotidie applicari poteſt, & cum magno fundamento compilatori præmemorato deciſionum Rotæ aliiſque aduerſatur, memoria ſtudioſè conſignes.

SINGVLARE XXVIII.

De clerico laici hærede conueniendo.

SVMMARIVM.

Lite cum defuncto inchoata, clericus laici hæres ſæcularis iudicis forum declinare non poteſt, per totum.

ETſi coram iudice ſæculari clericus conueniri non poſſit, quamuis hæres ſit laici, de quo latius *Didac. Couuar. practica. quæſt. cap. 8.* imò iudex
1 ſæcularis, qui clericum condemnare præſumit, incurrat

currat excommunicationem *c. 2. de foro compet.* tamen hoc inter alias fallentias locum non habet, si sit hæres laici, & cum defuncto lis sit inchoata. Neque enim tunc prætextu qualitatis suæ clericalis, remissionem ad Ecclesiasticum iudicem potest petere, sed incœptam causam tenetur ad finem vsque prosequi & sustinere. *Io. Petr. Surd. decis. Mantua.* 110. *per tot. not. Conuar. d. loco. Francisc. Viuius opin.* 108. *citat Bald. cons.* 207. *vol.* 1. *Angel. & Castrens. in l. hæres absens. ff. de iudic. Alex. in addit. Bartol. in Auth. & consequenter. num.* 19. *C. de sentent. Imol. in l. si eum hominem. ff. de fideiussor. Cagnol. in l.* 2. *nu.* 175. *ff. de pact. inter emptor. Boer. decis.* 69. *num.* 32. *& seq. qui dicit hanc opinionem seruari in practica. Guiliel. Benedict. in c. Raynutius in verb. & vxorem Adelasiam num.* 124. *de testam. & est communis opinio prout ostendit Rogerius de Mata in l.* 1. *num.* 71. *ff. de iudic. & magis communem ac veriorem esse ait Boer. d. decis.* 69. *num.* 32. 34. *& seq. teste Viuio d. opin.* 108 in quo loco scribit, quod hanc sententiam tanquam veriorem, æquiorem, sustentabiliorem & communiorem intrepidè iudicando & consulendo sequeretur, & sic in regia Aprutina Audientia in causa ibi ventilata per expertissimos Aduocatos hinc inde trutinata atque discussa anno 1579. iudicatum fuisse. Idem sæpius Mantuanum Senatum censuisse, ac pronunciasse refert & memoriæ prodit *Io. Petr. Surd. d. decis. Mantua.* 110. vbi reiecta contraria opinione, hanc positionem firmat solidissimis fundamentis, & dicit si rectè videantur ac numerentur Dd. esse communiorem, quod similiter notat *Emanuel Soarez in thesauro recepta. sententiar. verb.*

Clericus. num. 104. qui aliquorum ex prædictis Dd. meminit, & hanc pono pro singulari.

SINGVLARE XXIX.

Brauium.

SI plures equis currant ad brauium, & duo simul ad illud deueniant, sic vt ambiguum sit, quis eorum prior vel posterior fuerit, neuter eorum brauium consequetur, sed denuò current, & quidem tali euentu, non illi tantum duo, sed omnes currere debent, ex quo enim nemo illorum vicit, nemo aliorum victus est, ista notanter admodum & pulchrè firmat *Francis. Vimius opinio.* 84. *in princ. incip currentibus.*

Et commodè isthęc resolutio applicari potest ad collegia sagittariorum nostrorum, qui solennibus diebus ex more & consuetudine antiqua volucrem depictam trabe eleuatam telis solent impetere, certo præmio ei constituto qui illam deiecerit. Accidit enim interdum in magna eorum frequentia & assidua telorum eiaculatione, vt duo simul attingentes auem ligno deturbent. Isto & similib. euentibus dubitatione oborta quid sit iuris, ex prædicta assertione controuersia poterit laudabiliter & cum singulari fundamento determinari.

SIN-

SINGVLARE XXX.

An quilibet iudex Pœnam à lege vel ſtatuto delinquentibus præfixam minuere poſſit, vel inflictam per ſententiam ſuam mutare.

SVMMARIA.

Iudex ſola merita cauſarum debet ponderare, neque particulari aliquo adfectu, odio, fauore vel commiſeratione moueri. num.1.2.
Malitia delinquentium iuſtæ pœnæ irrogatione coercenda eſt. num.3.
Pœnæ molliendæ ſunt potius quam exaſperandæ. nu. 4.
Qui non habet in ære, luat in corpore. num. 5.
Latiſſimum officium eſt iudicantis. num.6.
Iudicis pronunciatum & ſententia eluſoria reddi non debet. num. 7.

IVdices ab Eccleſiaſticis & ſæcularibus Principibus boni publici reſpectu cõſtituuntur, vt priuatorum cauſas & publicas, negociaque tam ciuilia quam criminalia, quæ coram iis veniunt tractanda, maturo iudicio examinantes & definientes, eorum quoque induſtria & ſynceritate Reipublicæ quies conſeruetur. Vnde in hoc eos potiſſimum incumbere oportet, vt cauſarum merita quam diligentiſſimè 1

mè expendant, æquitatem in omnibus obſeruent, nihil perſonarum qualitati vel priuato ſuo adfectui
2 tribuentes. *l. eo caſu.* 33. *C. de appellat.* neque in cognoſcendo fletibus & lamentis eos moueri oportet, neque excandeſcere *l. obſeruandum.* 19. *ff. de offic. Praeſ.* neque fulminare *l. iudex* 5. *C. comminat. epiſt.* ſed tranquilla atq; ſedata mente collitigantiũ partium rationes audire, attendere, & ius ſuum vnicuique tribuere. Præſertim verò & in hoc aduigilare ne legum & ſtatutorum authoritas vlla ratione labefactetur, & quemadmodũ illa in ciuilibus cauſis ſunt ad vnguem ſequenda & obſeruanda, ita in
3 criminalibus factioſi malefici homines ac delinquentes pœna per eorum conditores criminibus impoſita, ſine vlla diſſimulatione puniantur. *l.* 3. *l. congruit.* 13. *in princ. ff. de offic. Praeſ.* Quia tamen interdum variis de cauſis, quæ paſſim à Dd. & præſertim ab *Andr. Tiraquel. tractat. de pœnis* traduntur, de ordinario ſtatutorum & pœnarum rigore aliquid eſt remittendum, diſputant Dd. an iudex pœnam à l. vel ſtatuto indictam poſſit minuere.

Iul. Clarus criminaliſtarum practicorum facilè princeps, receptar. ſententiar. §. *final. quaeſt.* 85. *num.* 10. multum ſingulariter dicit, quod hoc poſſint maiores magiſtratus ex cauſa, ſiue agatur de pœna impoſita per ius commune, ſiue de pœna impoſita à ſtatuto. At quod minores magiſtratus quamuis pœnam ſtatutariam poſſint diminuere ex cauſa cohærente delicto, tamen ſi pœnã volunt alterare ex cauſa extrinſeca, debent Principem conſulere, & hoc inquit, niſi conſuetudo prouinciæ aliter ſe habeat, prout in Francia, vbi ex conſuetudine illius regni omnes pœnæ criminales ſunt in arbitrio iudicantis,
vt

vt atteſtatur *Practica Millas fol.* 128. *num.* 47. *& fol.* 147. *num.* 30. nam eo caſu talis conſuetudo eſt attendenda. Itaque ſecundũ præmiſſa exaudio, quod ſcribit *Anton. Faber in ſuo C. Fabria. tit. de pœnis, definit.* 6. *in fin.* Pœna (inquiens) ordinaria legibus publicorum iudiciorum aut Principum conſtitutionibus aut quod ferè idem eſt conſuetudine recepta, in iudicantis arbitrio non eſt: pœnæ tamen modus ac veluti moderatio quædam eſſe poteſt, & ideò dicimus temperandas & molliendas eſſe pœ- 4
nas, non exaſperandas *l. penult. ff. d. tit.*

An verò iuſta de cauſa poſſit iudex mutare pœnam, quam per ſententiam ſuam alicui impoſuit? Verbi gratia, ſi ad triremes quis ſit condemnatus & poſteà in morbum incidit, quo impeditur tali pœnæ ſeruire? quod non poſſit ne ſupremus quidem magiſtratus, quia officio iam ſuo defunctus eſt, iuxta *l. iudex poſteaquam.* 55. *ff. de re iudica.* ſed quod indulgentia & reſcripto Principis ſit opus, atque ita in Senatu Sabaudiæ reſolutum fuiſſe refert *Anton. Faber C. Fabria. tit. de pœnis, definit.* 8. in iſto caſu. Porrò *Antonin. Teſſaur. deciſ. Pedemonta.* 231. *per tot.* ſcriptum reliquit, quod cum quidam per Senatum in aureos ducentos nomine pœnæ erga fiſcum fuiſſet condemnatus, & inde poſt condemnationem reperiretur non eſſe ſoluendo, ad inſtantiam procuratoris fiſci fuerit ſimpliciter & non conſulto Principe condemnatus in pœnam corporalem, ex eo quod talis Senatus in iudicando eſt loco Principis, & quia iuxta illud vulgare iuridicum axioma, qui non habet in ære, 5
oportet vt luat in pelle, & pro iſta deciſ. adducit *text. in l.* 1. *§. generaliter. ff. de pœn. & in c. finem litibus,*

x. de

x.de dol.& contumac. vbi is qui iam in expensas fuerat cōdemnatus, si ei desint facultates quibus satis-
6 faciat iudicato, rursus in corpore cōdemnatur, quia latissimum est officium iudicis *l.2. ff. de iurisd. omni. iudic.* tanto magis ergo (inquit) Senatui concedendum, quod etiam cuilibet pedaneo iudici concedit lex ciuilis & Canonica.

Item quia non dicitur hoc casu Senatus sententiam suam mutare, sed illam magis confirmat; at quia in pecunia non potest executioni mandari ex authoritate iuris eam in corporalem conuertit, ne
7 sententia elusoria reddatur, quod fieri non debet *l. si prætor. 75. ff. de iudic. c. cordi, de appellatio. in 6.* ita in Pedemontano Senatu resolutum fuit, reluctante Domino Sola 29. Nouemb. 1588. Præside perillustrissimo D. Amedæo à Ponte, qui pro hac opinione multa bona iura in medium conferebat teste Tessauro d. loco, & hanc ergo pro summè notabili ac singulari statuimus.

SINGVLARE XXXI.

Moribundi confessio.

SVMMARIA.

Moriens non præsumitur mentiri neque immemor esse salutis æternæ. num. 1.
Fallit cum de tertij præiudicio agitur, cui ius est quæsitum. num. 3.
Quod mors habet vim iuramenti. num. 2.
Debitum actiuum non probatur per assertionem defuncti

functi, quam fecit in extremis. num. 5.

Non creditur testi moribundo, falsum se dixisse profitenti, etsi sanctum corpus Domini susceperit. num. 6. limitatur. num. 7.

Seruo vili & infami de suo facto deponenti fides adhibetur, vbi adsunt coniecturæ. num. 8.

Probatio etiam inducitur per legitimas coniecturas. num. 9.

Declaratio & incusatio vulnerati morientis, non facit indicium sufficiens contra taliter incusatum ad torturam. num. 10.

Fallit, vt num. 11.

SOlet magni esse momenti confessio facta in extremis. Tunc enim cum vitæ meta instat & ad æternitatem tenditur, non præsumitur quis mentiri neque immemor esse salutis æternæ. *text. l. cum quis decedens.* 35. *§. codicillis. ff. de lega.* 2. *text. c. sancimus.* 1. *quæst.* 7. *c. literas. x. de præsumpt. Io. Gallus q.* 85. *Cacheira. Osasc. decis. Pedemont.* 79. *num.* 20. *post Grammat. cons.* 65. *num.* 1. *& voto* 3. *num.* 4. *& seq. Carrer. in pract. §. circa quartum. num.* 356. *not. Præs. Euerard. cons.* 148. *num.* 10. Imò ipsa mors est magni & famosi effectus. Ita traditum est, vt si per defunctum iuramentum sit oblatum eique delatũ, pro præstito habeatur, eo quod mors non meretur minorem fidem, quam corporale iuramentum. *Andr. Gail practic. obs.* 43. *num.* 2. *lib.* 2. Item quando liber rationum viuo scribente cum iuramento probat, probabit non minus mortuo scribente, eo quod mors habet vim iuramenti, & non est verisimile morientem falsam scripturam reliquisse. *Andr. Gail d. obser.* 43. *num.* 6. vtrumque dictum est singulare

(margin numbers: 1 beside line "æternitatem tenditur…"; 2 beside "defunctum iuramentum…")

gulare & animo etiam atque etiam imprimendum.

3 Memineris tamẽ, quod præsumptio allegata veriloquij in eo qui est in extremis non habet locum regulariter, cum agitur de præiudicio tertij cui ius est quæsitum, & aliàs cum sola ac nuda eius declaratio existit. 4 Quia sic nemo præsumitur bonus cum tali alterius præiudicio, & facilè etiam inuenirentur qui animæ salutem ad ditandum suos ex rebus alienis impenderent, vti notat *Iac. Menoch. lib. 5. præsumpt. 5. num. 17. Alciat. tract. de præsumptio. reg. 3. præsumpt. 4. num. 2. vers. Aduerte tamen. Io. Petrus Surd. decis. Mantua. 135. num. 16. Petr. Peckius lib. 2. de testament. coniug. cap. 7. num. 6. prædictus Iac. Menoch. lib. 3. præsumpt. 7. num. 9.* vbi ait duram sibi videri Deciani sententiam, qui *cons. 49. num. 6. & 7. lib. 2.* consuluit, si mulier decedens condidit testamentum, & dixit se dotem suam Caio legare, quod ex isto dicto & relicto dotata fuisse præsumatur, & rectè. 5 Nam quamuis vicinus morti aliquem debitorem suum esse fuerit professus, constat quod nullum ista professio ei asserto debitori præiudicium facit. *text. l. rationes, & Auth. quod locum, ibidemq; Dd. C. de probat. Petr. Peckius ad c. cum sunt partium, in verb. reo fauendum, de reg. iur. in 6. Dd. in d. l. si quis in graui. ff. ad Syllania.*

6 Ita etiam si testis dicat se falsum testimonium tulisse, non creditur ei in præiudicium eius, pro quo mediante dicto testimonio sententia est lata, quamuis hoc enunciauerit in mortis articulo constitutus, imò quamuis sacro sanctũ Christi Domini nostri corpus tum susceperit. ita egregiè & singulariter dixit Francis. *Viuius opinio. 924. num. 1. ex authoritate Bald. in tit. de pace Constantia, §. vasall.*

l. in

1. *in fine*. Quia non debet esse in eius facultate aliquid dicere, cuius ratione ius parti quæsitum conuellatur. *not. in simili Petr. de Moncada in addit. ad tractat. Io. Croti de test. qui insertus est inter tractatus diuerso. de test. part. 3. num.* 174.

Quam doctrinam cordatè & cum grano salis intellige, videlicet vt procedat cum talis confessio extat sola; secus si cum ea concurrant alia indicia, quia tunc plenè probaret, ita signanter tenet & firmat *Anton. Gomez. ad l.* 83. *Tauri num.* 15. enarrans ibi similem casum, qui sibi in impetratione & consecutione cathedræ doctoralis euenit, & scribit in terminis sic tradere *Philip. Dec. in l.* 1. *ff. si cert. peta.* 3. *col. num.* 12. *Hyppolit. notabiliter & melius quam alibi in repetit. Rubr. ff. de fideiussor. num.* 39. *& pro ista limitatione adducit l. quaro.* 58. *§. final. ff. de adilit. edict.* in qua habetur, quod seruo vili & infami de proprio facto credendum est, & eius confessio plenè probat, si concurrant alia indicia, *ibid. citat alios Dd.* Item quia probatio non semper ruditer & vulgariter intelligi debet, quod per duos testes vel propriam confessionem fieri debeat, sed per alias legitimas vel probabiles coniecturas, per quas iudex possit moueri & ad perfectam credulitatem adduci *l.* 3. *§. tu magis, al. §. eiusdem quoque. ff. de test.* cuius verba sunt, *Qua argumenta ad quem modum probandi cuique rei sufficiant, nullo certo modo definiri potest. Hoc ergo rescribere possum, non vtique ad vnam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quid aut credas aut parum tibi probatum opineris. & ibi communiter Dd.* ex quibus loco citato resoluit *Gomez.* quod confessio moribundi etiam in præiudicium iuris tertio acquisiti

siti suo confitentis facto, concurrentibus aliquibus indiciis plenè & sufficienter probat.

10 Item simplex assertio vulnerati & morientis, quod ab aliquo fuerit ita malè affectus, non sufficit ad torturam. text. singularis. *d. l. si quis in graui. 3. §. si quis moriens. ff. ad Syllania. Anton. Gomez. resolut. tom. 3. cap. 13. num. 16. vbi ait esse communem. Iul. Clarus lib. 5. recept. sentent. §. final. quæst. 21. num. 17. dicens itidem hanc opinionem esse communem secundum Grammat. cons. 57. num. 13. & Placam ac Chassan. cons. 58. post num. 28. scribentem quod ita tenent omnes. not. Iose. Ludouici decis. Lucens. 62. num.* 1. tamen est aduertendum, quod concurrentibus aliis

11 indiciis & præsumptionibus etiam huiusmodi dictum facit indiciũ ad torturam contra imputatum. *Ioseph. Ludouici d. decis. 62. num.* 1. subdens in hoc multum versari iudicis arbitrium, si iste constitutus in articulo mortis sit vir probatæ vitæ, & isto casu minimum quodq; indicium & simplicem quandam variationem facere indicium ad torturam contra diffamatum. Quod arbitrium iudex potest magis rigorosè ostendere, vbi casus esset enormis vel delictum enorme, & ita inquit, multoties iudicaui. Si vero iste constitutus in articulo mortis, non esset ita exploratæ vitæ, tunc vtique vltra istam assertionem morientis requireretur aliud indicium vrgens & alicuius considerationis, arbitrio iudicis perpendendum. *Idem d. loco.*

SIN-

SINGVLARE XXXII.

Quod incertitudo inficiat & perimat dispositionem.

SVMMARIA.

Ostenditur procedere variis casibus practicis. per tot.
Probatio debet esse clara & certa. num. 1.
In dubio pro possessore iudicatur, dato etiam quod possessio eius sit vitiosa. num. 2. 3.
Interest Reipubl. ne delicta maneant impunita. nu. 4.

INcertitudo regulariter vitiat omnem actum & dispositionem, vt *not. Io. Petr. Surd. tractat. de aliment. tit. 8. priuileg. 17. in princip.*

Hoc dictum regulare primò obtinet in stipulatione, vt *in l. ita stipulatus. 115. ff. de verbo. obligat. notatur libr. 8. regular. iur. Ciuil. & Pontific. verb. Incertitudo.*

Secundò in confessione *l. de ætate 12. §. nihil. ff. de interrogato. actio.* Nihil enim interest, inquit, I. C.tus quis an taceat interrogatus, an obscurè respondeat, vt incertum dimittat interrogatorem.

Tertiò in testium depositione, quia testes deponentes de incerta quantitate pēsionis non probant locationē, ita consulendo responderunt *Alex. cons. 50. post nu. 9. & 10. vol. 5. Dec. cons. 57. nu. 5. teste Iose. Mascard. vol. 2. de probat. conclus.* CMXCV. *incip. Locationem non probari per tot.* ratio est, quia probatio debet esse clara ac certa, alioquin non releuat probantem 1

probantem *c. in præsentia. de probat.*

Sic neque venditio probatur per testes, nisi de certo precio deponant, vt *not. Mascard. d. conclus. per §. precium Instit. de emptio. & vendit. Alex. cons.* 18. *num.* 1. *in fi. vol.* 1. *& cons.* 128. *num.* 4. *vol.* 2. *Dec. d. cons.* 57. *not. Emanuel Soarez in thesaur. recepta. sententia. verb. venditio nu.* 17. vbi tamen admittit huiusmodi probationem, si ad fundandum vsucapionem spectet, citat *Alex. & commentatorem Parisiens. ad illum cons.* 18. *lib.* 1. *Arium Pinel. in Rubr. parte* 2. *c.* 1. *num.* 8. *de rescind. vendit. not. Andr. Gail libr.* 2. *obs.* 13. *num.* 8. quo loci egregiè explicat, quando instrumentum huiusmodi venditionis, precij quantitate non expressa, probet.

Simili modo testis per verbum credo deponens non probat, etiamsi dicat se pro certo credere. *Matthæ. de Afflict. decis. Neapol.* 381. *num.* 7. *Cachera. decis.* 122. *in princip. glos. & communiter Dd. in l. testium. ff. de test. & Canonistæ in c. quoties. x. eod.*

Idem si deponat per verbum videtur, videre suo, iudicio suo *Cachera. d. decis.* 122. *Stepha. Gratia. decis. Rotæ prouinciæ Marchiæ* 35. *num.* 9. *post Bart. in l. qui tamen §. si arbiter. ff. de arbitr. Alex. cons.* 15. *viso processu col.* 5. *in princ. num.* 5. *libr.* 1.

Quartò procedit in legatis. Nam si legatum factum sit vni ex duobus, qui primus Capitolium ascenderit, & contingat ambos ascendere, tamen ignoretur quis prior fuerit, legatum neutri debetur. *l. si ita fuerit.* 11. *ff. de rebus dub.* Si testator leget amico suo Sempronio certam summam, & plures eiusdem nominis amici testatoris extent, legatum corruit & non sustinetur. *text. d. l. si ita fuerit. l. si quis de pluribus. ff. de rebus dub. l.* 3. *§. si quis duobus. ff. de*

adimend.

adimend. lega. l. qui plures. ff. de vsufr. Francis. Viuius opin. 84. num. 2. Idem decis Regni Neapol. 412. incip. condito testamento num. 1. Petr. Peckius ad c. in obscuris num. 11. de reg. iur. in 6. pulchram rationem subnectens; quia si dicamus singulis legatum præstandum esse, vltra intentionem testatoris hæres grauabitur, qui illum in vna tantum summa grauare voluit; si verò dicamus distributionem inter legatarios faciendam esse, reclamat rursus mens testatoris, qui vnum Sempronium beneficio afficere, vniq́ue gratificari intendit.

Aduerte tamen, quod vbi notabiliter testator viuens vnum Sempronium altero magis dilexit, & maiori fauore ac gratia prosecutus fuit, huiusmodi legatum ad istum Sempronium referendum esse, ex coniecturata eius voluntate *arg. l. si quis ita. 16. §. si quis cùm ignoraret. ff. de testamenta. tute. Roma. cons. 408. num. 8. Bald. in l. voluntatis C. de fideicommis. Ia. Nouellus reg. 62. qui ita dicit iudicatum; relatus tom. 2. tractat. regula. iur. Ciuil. & Pontific. verb. Legatum factum Titio.* Idem si alter Sempronius testatori sit sanguine coniunctus, vel de ipso magis benè sit meritus, iuxta *Francis. Mantic. de coniectur. vltimar. volunta. lib. 8. tit. 4. num. 5.* Sufficit enim verisimilibus coniecturis docere de testatoris intentione, & de qua persona senserit *l. quem hæredi. 26. ibi, si quibusdam argumentis apparebit. ff. de rebus dub.* quæ declarationes sunt plurimùm singulares.

Aduerte etiam, quod præfato casu & cum legatum relictum est exstantibus duobus eiusdem nominis æqualiter à testatore dilectis, hæres eligere potest cui legatum velit conferre, iuxta *text. l. si quis seruum. 8. § . si inter duos. ff. de lega. 2.* qui ita exaudiri

debet. *Francis. Viuius decis. Regni Neapol. 412. nu. 6.* aliàs quidem hæres nullatenus posset cogi, *Ibid. num. 9.*

Quintò procedit theorica in legato etiam aliàs fauorabili, quale est libertatis *d. l. si ita fuerit, & d. l. si quis de pluribus.*

Sextò in constitutione tutoris. Si enim testator reliquerit Titium tutorem liberis, sintque duo Titij & non appareat de quo senserit testator, neuter tutor erit *l. duo sunt Titij. 30. ff. de testamenta. tute. Andr. Tiraquel. tracta. de iure primogenio. quæst. 17. opin. 6. num. 1.*

Septimò in hæredis institutione, quæ ob prædictam incertitudinem vitiatur & non procedit, *nisi apertissimis probationibus fuerit reuelatum, de qua persona testator senserit. ita sonat text. l. in tempus. 62. ff. de hæred. instit. Wesenbec. in paratitlis ad d. tit. ff. de reb. dub. num. 2.*

Octauò in plurium testamentorum confectione. Nam si duo reperiantur testamenta eodem die cõscripta, & appareat quod fuerit posterius, illud præferetur, sed si de posterioritate non liqueat, neutrum valebit. *Michael Grass. recepta. sententia. lib. §. testamentum. quæst. 91. dicens quod ita ex communi refert Alphons. Aluarez Specul. Romano. Pontific. cap. 20. num. 9. Bursat. cons. 39. num. 1. libr. 1. vbi plures de communi attestantes allegat, & Iul. Clar. §. testamentum. quæst. vlt. tradit Eman. Soarez in thesaur. recepta. sententiar. verb. testamentum. num. 95. commune enuncians ex Boer. decis. 311. num. 2. Curt. iun. in l. vlt. num. 79. C. de edict. D. Adria. tollend.* quod benè nota.

Nonò procedit in persona testatoris, qui si de suo statu dubius sit & incertus, perinde ac si foret inha-

inhabilis, non potest testari. *Ias. in l. is qui. ff. de acquir. hared. Petr. Peckius ad c. possessor num. 4. de reg. iur. in 6.*

Decimò in relicto diuersis codicillis. Nam si codicilli plures fuerint conditi & in vno istorum Titio relictus fundus, in altero dictum quod fundus Titio non legetur; nisi probetur beneficam dispositionem tempore posteriorem fuisse, legatum erit inutile ob incertitudinem, glos. singularis *in L. cum proponas, verb. contrariam C. de codicil.*

Vndecimò in sententia, quæ si ex aliquo redditur dubia vel obscura, ex quo verè dici non potest cõtrouersiam definiuisse, cum partes adhuc teneat ancipites & dubiosas non valet, & perinde est ac si lata non fuisset ad causæ & cõtrouersiæ decisionem *arg. l. de ætate, 12. §. qui tacuit, cum seq. ff. de interrogat. actio. Vantius latè super eo scribens tractat. de nullitate proces. ac sententiar. tit. de nullitate ex defectu processus siue ordinis iudiciarij &c. num. 101. & seq.*

Duodecimò in laudo arbitri, quod si fuerit incertum est nullum *l. quid tamen 25. §. Pomponius ait. ff. de recept. arbitr.*

Decimo tertiò in mandatario, quia ambiguus & dubitans de suo mandato id quod facit irritum facit & ipso iure nullum est, quod sic ab eo peragitur. *Bartol. in l. qui manumissi. ff. de test. Petr. Peckius ad d. c. possessor. d. num. 4.*

Decimo quartò in electione. Dubitans enim eligere non potest. *Bald. in l. manifestissimi. ff. de furtis. Peckius d. loco.*

Decimò quintò in collatione beneficiali. Nam si vno tempore duobus facta sit collatio beneficij, neque appareat de prioritate, tunc neutra valet. *not.*

Ioseph. Ludouici conclus. 6. num. 27. vbi seqq. num. tradit ampliationes & limitatio. per c. cum nostris de conceß. prabend. Rebuff. latè declarans tractat. de pacific. possesso. num. 367. & seq.

Decimo sextò, in impetratione officij. Quia si duo simpliciter officium impetrarint, & neuter eorum sit in possessione, neque liqueat cui illud prius fuerit concessum, neuter impetrantiũ illud obtinebit. Aliud iuris esset, quando vnus dicti officij possessionem foret consecutus, hoc enim casu pro possessore præsumptio militaret & is veniret anteponendus. *Francisc. Viuius opin. 378. incip. instrumentum possessoris num. 2. cit. Bald. & Felin. in c. capitulum num. 15. de rescript. Ias. num. 7. & Ripam num. 6. in l. 1. ff. solut. matrimo. Alciat. in tracta. de præsumptio. reg. 3. præsumpt. 43. num. 4. Idem ponit Tiraquel. in tracta. de iure primogen. d. quæst. 17. opin. 11. num. 2.*
2 Quippe hoc possessionis cõmodum vel maximum est, quod in rebus dubiis & obscuris pro possessore etiamsi de iure suo nihil doceat, iudex solet pronunciare, §. *commodum Instit. de interdict. glos. l. vnic.*
3 *C. si de momenta. posses. fuer. appella.* etiamsi eius possessio sit iniusta, quia quoad aduersarium non possidentem liberas ædes habet *l. final. C. de rei vendic. d. §. commodum. Præs. Euerardi cons. 66. num. 2 & 4. Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de rei vendicat. definit. 17.* vtrobique habes casum in terminis: & præmissam positionem pono pro multùm singulari.

Decimo septimò, obtinet regulare dictum in pœnalibus. Hinc pace ceu treuga inter duos inita & prȩstita cautione de se inuicem non offendendo, si tamen se offenderent, & non appareret quis eorum

rum fuerit aggressor, ob incertitudinem facti vterque erit à pœna immunis, neque effectum sortietur pœnalis constitutio *Francisc. Viuius opin.* 84. *incip. Currentes, num.* 4. & *secundùm eum Marsil. in Rubr. num.* 406. *C. de probat. Carrer. in pract. criminal.* §. *Homicidium.* 6. *num.* 345. & §. 11. *num.* 77. *Bero. cons.* 196. *in causa inquisitionis, num.* 25. *vol.* 3.

Eodem modo stante edicto, quod primò gladium euaginans, vel manum ponens ad arma puniatur in centum, si duo gladiis eductis inter se rixati fuere, neque liquet quis prior gladium euaginarit, vterque erit absoluendus, iuxta glos. singularem *in l.* 1. §. *cum arietes, in verb. sibi. ff. si quadrupes pauper. fecis. dica.* à qua tamen opinione dissentit *Iul. Clarus* §. *final. practic. crimina. quæst.* 60. *num.* 31. insinuans vtrumque esse condemnandum, admittit tamen hanc positionem si pœna 4
corporalis & non pecuniaria ob delicta huiusmodi foret imposita.

Posset hæc generalis theorica multis & insignibus prætereà limitationibus restringi, sed de iis alibi fortasse dicemus.

SINGVLARE XXXIII.

De denunciatione litis motæ in casu euictionis rei venditori faciendâ.

SVMMARIA.

Vt venditor de rei euictione teneatur, debet ei denunciari litem motam esse. num.2.
Quomodo talis denunciatio sit facienda. num. 3.
Dolus præsumitur in emptore non denunciante. nu. 4.
Si emptor probet rem ad euincentem spectasse, benè agit de euictione, etiamsi denunciare neglexit. num. 5.

1 TV nosti, quod ex natura venditionis, emptor venditorem de rei euictione habet obligatum *l. non dubitatur. 6. C. de euict.* quia venditor debet tradere vacuam rei possessionem & indemnem emptorem conseruare, & cùm ipse accepti precij fiat Dominus, è contrà rei dominium vel euictionem hoc nomine præstare debet synallagmatis ratione.
2 Nihilominus oportet emptor denunciet litem esse motam, & venditorem moneat, vt causæ assistat *text. l. emptor fundi. 8. C. de euict. l. si parentes. 20. l. si permutatio. 29. C. eod. tit. Francis. Viuius decis. Reg. Neapol. 510. num. 7. Capel. Tholosa. decis. 407. per tot.*

3 Quæ denunciatio ipsi venditori, vti dictum est, est

est facienda, vel si ille sine dolo absens fuerit & non reperiatur domi, familiæ vel procuratori suo si habet, vel saltem amicis *Aufrer. ad. d. decis. Capell. Tholos. 401. in fin. glos. in l. aut qui aliter §. & si fortè. ff. quod vi aut clam.* Alioquin si negligens in hoc fuerit emptor, dolus in illo præsumitur *l. si fundo. 53. ff. de euict. not. Iacob. Menoch. libr. 5. præsumpt. 3. num. 68. post Socin. senio. in l. 2. §. voluntatem, col. penult. ff. solut. matrimon. Crauet. cons. 362. num. 12.* & de euictione venditor non tenetur *d. l. emptor fundi.* 4

Hoc tamen casu, ne miser emptor & re & precio carere debeat, remedium vnum ei est particulare & singulare, si probet rem ad euincentem spectasse. Nam huiusmodi probatione legitimè facta in sua intentione & actione contra venditorem obtinebit. *Io. Petr. Surd. decis. Mantua. 22. num. 9. allegans Alex. in l. non solum §. morte num. 46. ff. de oper. no. nunciat. Modern. Paris. tractat. de euictio. §. [illegible] num. 73. & sequent. citantem pro hoc dicto Corn. Claud. Aquens. Afflict. Felin. Riminal. Rub. Socin. iunio. Nattam. Capyc. Aufrèr. Didac. & Rebuff.* 5

SINGVLARE XXXIIII.

Compensatio.

SVMMARIA.

Interest nostra non soluere potius quam solutum repetere. num. 1.

Debitor potest obiicere suo creditori contra se agenti, com-

compensationem debiti sibi cessi ab eius creditore. num. 2.

Compensari non potest debitum illiquidum. num. 3.

Benè tamen intrà breuem terminum liquidandum. num. 4.

Quis ille breuis terminus dicatur. num. 5.

Præsumptio doli cessat, cum probationes incontinenti adferuntur. num. 6.

Multa conceduntur fieri incontinenti, quæ aliàs non concederentur. num. 7.

Probatur exemplis. num. 8. 9. 10. 11.

1 QVia nostra multum interest non soluere potius, quam solutum repetere *l. 3. ff. de compensat. Elbert. Leoni. cons. 12. vers. secundo etiam.* rectè in mutuis debitis leges compensationi locum esse
2 voluerunt: & quidem tam amplè, vt debitor conuentus possit opponere creditori contra se agenti compensationem debiti sibi cessi à creditore illius *Matthæ. de Afflict. decis. Neapol. 163. num. 5. dicens ita per omnes Dominos Sacri Concilij iudicatum, & illud dubium tangere Dyn. in c. si quis in ius, de reg. iur.*
3 *in 6. & Bald. in l. eius C. de compensat.* sed tum demum compensandi ius procedit, cum debitũ quod quis intendit compensare est liquidum & clarum *l. vlt. C. de compensat.* quia aliàs si debitum petitum foret probatum & de eo sufficienter constaret, exceptio autem volentis compensare esset obscura & intricata, iudex talem exceptionem non admittet, sed ius petendi & actionem reseruabit & saluam relinquet excipiẽti. Satis enim miserabile est (inquit Imp.) post multa fortè variaque certamina, cùm res iam fuerit approbata, tunc ex altera parte quæ iam

iam pœnè conuicta est opponi compensationem, iam certo & indubitato debito, & moratoriis ambagibus spem condemnationis excludi. *d. l. vlt. C. de compensat. not. Matthæ. de Afflict. decis.* 381. *num.* 6. *Guid. Papa consf.* 5. *in fin. Franciscus Viuius opinio.* 114. *num.* 9.

Dixi exceptionem volentis compensare obscuram & intricatam à iudice reiiciendam esse, quia si talis sit, quæ intra breuē terminum possit verificari & probari, omninò venit admittenda & recipienda vti singulariter scripto mandauit *Cachera. decis. Pedemont.* 92. *num.* 6. *Idem Cachera. decis.* 129. *num.* 4
13. & quis hoc casu terminus breuis sit dicendus, relinquitur arbitrio iudicis iuxta *Cachera. d. loco. & per tradita à Iac. Menoch. libr.* 2. *de arbitrar. iudic. centur.* 1. *casu.* 12. 5

Ratio præmemoratæ traditionis singularis est, nam præsumptio omnis doli & fraudis cessat, quando sic incontinenti probationes adferuntur, vti dixit *Præs. Euerard. consf.* 93. *num.* 7. & multa passim fieri conceduntur incontinenti, quæ aliàs non permitterentur. 6 7

Sic iis casibus, in quibus appellatio non esset admittenda, vt in mero possessorio vel executiuis, tamen cum ex iisdem actis de iniustitia apparet, appellatio etiam quoad effectum suspensiuum debet admitti & impedit executionem. *Stephan. Gratia. decis. Florenti.* 9. *num.* 4. *post. Alex. consf.* 106. *viso themate antè posito num.* 27. *lib.* 3. *Iac. Menoch. de adipisc. posses. num.* 850. & 854. *rem.* 4. *Gabr. consf.* 36. *in princ. lib.* 2. 8

Ita quamuis testimonium inimici sit recipiendum, reseruata inimicitiæ probatione suo tempore, 9

re, attamen recipi non debet, quando probatio inimicitiæ est in promptu, vti scripsit *Grammat. decis. 86. num. 3. referens Innocent. in c. ex parte de test. & ibid. Io. Andrea. Iac. Menochius libr. 2. præsumpt. 47. num. 7.*

10 Eadem ratione volens incontinenti probare exceptionem legitimam contra sententiam, debet audiri, non obstante statuto vel priuilegio omnes exceptiones contra sententias excludente. *Præs. Euerard. d. cons. 93. num. 7.*

11 Item quamuis ante omnia spoliatus sit restituendus, tamen hoc fallit vbi spoliator incontinenti probat de reseruatione beneficij sibi facta, & ideò excipit malè obtentum fuisse. *Iose. Mascard. vol. 3. de probat. conclus. 1277. incip. reseruatio. num. 12. per decis. Rotæ 16. aliàs 3. si contra agentem, de restitut. spoliat. in nouis, & decis. 475. si agenti possessorio, in antiquis. Philip. Franc. in c. licet Episcopus, col. penult. de prabend. in 6.* secus si res indigeret altiori indagine, *Mascard. Philip. d. locis.* & sunt hæ penultima & vltima positiones apprimè singulares.

SINGVLARE XXXV.

Debitorem speciei & quantitatis eodem tempore omnia soluere.

SI vir vxori suæ quolibet anno ex fundo Semproniano quinque corbes frumenti & decem libras legauerit, quemadmodum frumentum solui debet

debet eo tempore quo recolligitur *l. firmio. 25. §. pater & ibi glos. in verb. non initio, ff. quand. dies lega. cedit*, ita eodem quoque tempore pecuniæ soluentur *not. Francis. Viuius decis. Regni Neapol. 85. incip. obligatus ad fructus, num. 3. cit. Bartol. in l. si legatarius §. 1. ff. de leg. 3. Roma. cons. 231. Socin. iun. cons. 4. num. 10. vol. 4. Ruin. cons. 98. num. 18. vol. 1. cons. 76. num. 9. cons. 84. num. 11. vol. 2. Curt. iun. cons. 5. num. 6. Matth. Brun. cons. 86. in quæstione num. 1. vol. 1. Idem notat Borgninus Caualcanus tractat. de vsufr. mulier. relicto num. 166.* & sic aliàs iudicauit Regia Audientia Apuliæ anno 1583. in causa inter aliquas mulieres ciuitatis Luceriæ ventilata teste *Viuio d. loco*: est casus memorabilis & singularis.

SINGVLARE XXXVI.

De interpretatione legati consanguineis relicti.

SVMMARIA.

In dubio testator præsumitur id quod minus est relinquere. num. 1.
Et minus hæredem grauare voluisse. num. 1. 2.
Arctiori vinculo obligationis tenemur parentibus, quam liberis. num. 3.

TEstator præsumitur in dubio voluisse relinquere id quod est minus, & minus hæredem voluisse grauare *l. vnum ex familia 69. §. si rem ff. de* 1 2

leg. 2. Anto. Gomez. resolut. tom. 1. cap. 12. num. 19. Quod dictum variè declaratur, & inter alios excipitur casus, cum aliquid alteri sanguine coniuncto est relictum: intelligitur enim legatum factum de re meliori, *not. Philip. Dec. cons. 29. incip. viso puncto num. 1. Roland. à Valle cons. 16. num. 38. vol. 3. Io. Petr. Surd. tractat. de aliment. tit. 9. quæst. 30. num. 9. Idem Surd. decis. Mantua. 88. num. 17. Iac. Menoch. lib. 4. præsumpt. 106. num. 27. & lib. 1. de arbitra. iudic. quæst. 99. nu. 15. vbi inter alios refert Crauet. cons. 297. num. 2.* qui signanter affirmauit, legatum factum de omnibus domibus sitis in ciuitate Salutiarum, comprehendere etiam sitas in suburbiis Salutiarum, cum personis coniunctis factum esset legatum.

Sed hæc doctrina fallit cum par testatoris erga hæredem & legatarium est coniunctio & affectio *Iac. Menoch. d. lib. 4. præsumpt. 106. num. 28.* quia tum legatũ ex persona legatarij amplè & largè non interpretamur, cessante præsumptione voluntatis defuncti. *Idem d. loco.* nimirum cum per talem interpretationem hæres coniunctus nimium grauaretur, quod si ei non admodum esset damnosum, nihilominus largè etiam contra hæredem pariter coniunctũ interpretabimur legatum *Io. Petr. Surd. decis. Mantua. 298. vers. Quintò valet num. 12. post Corn. cons. 115. col. 2. circa fin. vol. 3. Idem Surd. cons. 72. in fin.*

Non obstat text. *in l. Aurelius. 29. §. Titius testamento. ff. de liberatio. lega.* vbi generalis liberatio ab actione tutelæ relicta patri à Titio largè intelligitur, quamuis eiusdem Titij filij hæredes essent instituti & dicitur etiam reliquorum liberationem continc-

continere; secus si talis liberatio extraneo sit relicta. Quia affectus testatoris præsumitur maior fuisse erga patrem ratione legati ei relicti, quam erga liberos, cum etiam parētibus plus debeamus, quam ipsis liberis. 3

Non obstat etiam si dicatur testatorem censeri semper maiori dilectione hæredem complecti, ex quo vniuersali titulo & magis honorifico eum ad successionem suam vocauit, quam legatariũ. Namque imò respõderi potest, vltra ipsam vocationem affectionem considerandam esse, cùm alioquin testator ita respectu legati magis dilexit legatarium, sicut respectu institutionis magis dilexit hæredem: sic istam obiectionem soluit Doctiss. *Menoch. d. præsumpt.* 106. *num.* 29. & sunt hæ declarationes mihi singulares.

SINGVLARE XXXVII.

De eo qui aliena negocia gessit eo inuito.

SVMMARIA.

Quemadmodum ad contrahendum ita etiam ad quasi contrahendum nemo cogi potest. num. 1.

Contractus primò sunt voluntatis, posteà fiunt necessitatis. num. 2.

Soluens alicuius debitum eo inuito, non habet actionem. num. 3.

Fideiubens pro aliquo super hoc reclamante, & postea soluens non repetit. num. 4.

Necessa-

Necessaria præbens alicuius vxori contra mariti voluntatem, qui ipse ea erat subministraturus, frustra agit. num. 5.

Casus aliquot notabiles quibus repetitio competit eius, quod aliquo inuito fuit impensum. num. 6. & seqq.

Interest publicè in ciuitate studiosos haberi. num. 7.

Protestatio non releuat in iis, quæ non dependent à facultate protestantis. num. 8.

Interest publicè vt non audiatur perire volens. nu. 12.

Socius inuito socio reficiens parietem communem, recipit impensam. num. 13.

SI quis alicuius negotia gessit etiam vtiliter, non habet aliquando repetitionem eius quod impendit, puta si id fecerit domino inuito ac relu-
1 ctante. *l. si pro te. 40. ff. manda. l. vlt. C. de negoc. gest.*
2 & hoc iusta cum ratione, quia sicut quis cum alio non cogitur inuitus contrahere, eo quod ab initio contractus sunt voluntatis, licet posteà fiant necessitatis *l. sicut. 5. C. de act. & obligat. Præs. Euerard. cons.* 12. *num.* 8. ita non cogitur quis quasi contrahere cum aliquo, neque illum creditorem habere, *not. Eman. Soarez in thesaur. recepta. sententia. verb. Negocij gesti nulla tunc actio oritur.* Ibidem ampliat
3 istam positionem, quamuis negocij gestor rebus alicuius se non immiscuerit, sed vel eius debita soluerit, vel aliud quid simile fecerit, commune dicens *ex Porc. in §. 1. num. 7. Instit. de obligat. ex quasi contractu.*

4 Sic quoque qui pro aliquo inuito aut contradicente fideiusserunt, si eo nomine quid soluerint, nullam omninò habent actionem. *Emanuel Soarez d. tract.*

d. tracta. verb. fideiussor. num. 172. *commune itidem hoc statuens ex authoritate Anton. Gomez. de contract. c.* 13. *num.* 11. *ex glos. Odofr. Bart. Bald. Angel & Salicet. in d. l. vlt. C. de negoc. gest.* Similiter is 5
qui necessaria alicuius vxori in morbo subministrauit contra ipsius protestationem volentis ac parati id facere, non repetit expensas. *Io. Petr. Surd. de aliment. tit.* 1. *quast.* 33. *num.* 11. *per d. l. si pro te ff. manda. & d. l. final. C. de negoc. gest. Socin. cons.* 286. *vol.* 2. *Idem Surd. d. tracta. tit.* 9. *quast.* 5. *num.* 15. Neque enim dicitur gerere vtile negotium, qui id facit contra alicuius voluntatem & protestationem, *d. l. final.* & videtur maritus aluisse, quando per eum non stetit quo minus aleret *arg. text. in l. hæc venditio.* 7. *ff. de contrah. empt. l.* 1. *C. de instit. & substit.* neque hæc expensa necessaria dicitur, quando eam maritus erat facturus. *Surd. d. quast.* 5.

Sunt tamen casus diuersi, quibus huiusmodi expensæ factæ aliquo inuito repetuntur: putà si quis 6
filio Titij in studio existenti & literis diligenter incumbenti mutuum præstet, vt eruditionem & doctrinam acquirat, licet à patre contradicatur, repetet mutuatū. *Bartol. Socinus in suis fallent. reg.* 180. *incip. expendens, per glos. l. item si §. quod dicitur ff. ad S. C. Macedon. Nicolaus Caluol. in sua praxi §. Libellus conclus.* 42. *num.* 6. quia interest publicè studio- 7
sos in ciuitate haberi, vt in proœm. Institut. §. *fin. & Bartol. in l.* 1 *ad fi. ff. solut. matrimon.* & cùm pater ad eam impensam faciendum esset obligatus, protestatio nullum effectum sortietur: quippe non re- 8
leuat protestatio in iis, quæ à facultate protestantis non dependent *l. alimenta, ibi glos. in verb. materna pietate, C. de negoc. gest. Iac. Menoc. libr.* 3.

præsumpt. 45. *num.*22. est dictum singulare.

9 Sic si quis vt alium personali pœnâ afficiendum liberet quid exsoluit, quamuis ille reclamet, habet repetitionem soluti. *Socin. d. reg.* 180. *Petr. Costal. ad l. si autem.* 8. *§. Iulianus libro tertio. ff. de negoc. gest.* dicens eum qui soluit pro aliquo pecuniam quantumcumque grandem, sine qua ille in periculum vitæ vel famæ vocabatur posse repetere, nec quicquam proficere reum, si alleget sibi antiquius fuisse in corpore aut fama puniri, quam tantam pœnam soluere: dictum identidem est singulare.

10 Item si ob maximam sæuitiam & sic culpam mariti vxor ab eo recessit, eoque inuito alimenta & ea quibus egebat fuerint præstita, actio contra maritum competet. *Io. Petr. Surd. d. tracta. de aliment. tit. 6. quæst.* 5. *num.* 19.

11 Item si sumptus quis fecerit, vt aliquem è domo iam iam ruitura in tutum assereret, si carceratum reluctantem redemerit, si ægro volenti perire, medicamentis sanitatem restituerit, habet contra omnes ius repetendi illud quod istas ob causas insumpserit. *Petr. Peckius ad c. non est sine culpa. num.* 3. *de reg. iur. in 6. per c. ipsa-* 23. *quæst.* 1. *Castrens. & alios ad l. final. C. de negoc. gest. Panorm. cons.* 91. quia publicè interest, vt non audiatur perire volens

12 *l. non tantum. 6. ff. de appellat. fac. Petrus Costal. d. loco.*

13 Item in materia societatis, si socius inuito socio communem parietem qui ruinam minabatur, refecerit, pro parte repetet & consequetur impensa. *Surd. d. quæst.* 5. *num.* 21. *allegans l. vt proponis.* 4. *vbi bonus tex. C. de ædific. priuat. Papiens. in forma libel. pro hærede vel re singul. ver. & in futurum col.* 1.

Capoll.

Capoll. tracta. de seruitut. Vrban. pradio. cap. de pariete seu muro. quod est notabile.

SINGVLARE XXXVIII.

De fabro studia Doctorum & scholarium suo strepitu offendente.

SVMMARIA.

Vtilitas publica priuata anteponenda. num. 1.
Bonum publicum nutritur in scholaribus. num. 2.
Proprietarij ripa nihil facere possunt, quo nauigatio impediatur. num. 3.
Ædificia cohærentia locis publicis destrui possunt, ob bonum commune. num. 4.

SI magnum tumultum excitando Faber vicinus impediat studia, non à Doctore tantum, sed etiam à scholari ex domo sua poterit expelli. *Rebuff. de priuileg. vniuersitatum, collegior. &c. priuileg. 3. in princ. Eman. Soarez thesaur. recepta. sententia. verb. Faber vicinus, commune ponens ex Ias. in l. 1. num. 46. ff. solut. matrimon. Francis. Viuius opin. 198. referens glos. Dyn. Alberic. Bart. Bald. Angel. Castrens. Ias. Socin. num. 64 Alciat. num. 54. Socin. iunio. num. 276. Ripam num. 134. Parpal. num. 48. Guiliel. Pontan. num. 84. cum aliis in l. 1. ff. solut. matrimon. Guido Papa decis. 88. & 388. Alciat. lib. 8. parerg. c. 2. Francis. Marc. decis. 635 in 1. parte Io. de Amicis cons. 104. nu.*

9. *qui dicit istam esse communem opinio. not. Anton. Gomez. ad l. Tauri vlt. num.* 17. *vers. Decimum pri-*
1 *uilegium est*, loquens in Doctore. Quia nimirum
2 præferendum est priuato bonum publicum, quod semper debet præualere & præponderare ac nutritur in scholaribus, iuxta effatum *Abba. in c. bona memoriæ* 1. *num.* 11. *de postulat. prælato. per Auth. habita C. ne filius pro patre.*

Pro hac doctrina facit *l.* 1. *in princ. ff. de fluminibus, quam allegat Felin. in c. vlt. de indic.* vbi dicitur, quod quamuis proprietas ripę competat iis, qui propè ripam prædia habent *§. riparum Instit. de rer.*
3 *diuis.* tamen nihil erigi vel fieri in ripa potest, quod impediat ac remoretur nauigantes; & hoc propter publicum commodum & vtilitatem quę ad omnes redundat ex commerciis & nauigatione.

4 Item adducitur *l. ædificia* 13. *C. de oper. publ.* vbi ædificia cohærentia ædificiis, mœnibus, vel operibus publicis possunt dirui ac prosterni ratione publicæ vtilitatis.

5 Hanc contentionem testificatur se habuisse de facto *Rebuff. d. priuilegio* 3. atque in ea obtinuisse: cùm quidam textor iuxta collegium habitans, cantui (vt hoc hominum genus solet) admodum addictus clamosa sua & insuaui voce collegiatos vsq; offenderet. Conuenisse enim illum coram iudice, qui partibus auditis, illi cantori præcepit, tam altè cessaret canere, vel alibi sibi domicilium compararet. Quod præceptum iudiciale homo ægrè ferens, & nolens tamen melos quod dulcissimum sibi videbatur continere, discessit eodem teste.

6 Sed quid si Faber Doctorem præuenit, anne tum expelletur, nec prioris habitationis iure iuuabitur?

istam

istam quæstionem ponit *Bartol. in d. l. 1. num. 30. ff. solut. matrimon.* & quidem distinguunt ac dissident inter se Dd. antiqui vt ibid. ad longum est videre. Ipse resoluit huius rei decisionem ex iudicis arbitrio pendere, qui considerata locorum dispositione & aptitudine & antiqua consuetudine, quia forte ibi consuetum est semper legi & ex aliis circumstantiis præferet Doctorem vel Fabrum, ita tamen vt in dubio Doctoris ius potius habeatur *arg. d. l. 1.* Nota priuilegium singulare studiis & literaturæ concessum.

SINGVLARE XXXIX.

Pignus alienatum cum consensu creditoris, & recidens in debitoris potestatem.

SI res obligata vel hypothecata à debitore cum consensu creditoris semel alienetur, perpetuò à vinculo obligationis erit libera, & quamuis debitor omnia sua bona etiã futura obstrinxerit creditori, illa tamẽ res non recidet in talem obligationẽ, quæ antè contracta fuerat. *l. fin. C. de remissio. pignor. ibi. Nobis autẽ visum fuit, eum qui semel consensit alienationi hypothecæ, & hoc modo ius suum respuit; indignũ esse eandem rem (vtpote ab initio ei suppositam) vendicare vel tenentem inquietare.* quẽ text. multùm commendat ibid. *Salicet.* dicens multos hunc casum ignorantes contrarium respondisse, quare obliuioni

non esse tradendum, & illum scriptis consignauit *Anton. Gomez. ad l. 40. Tauri num.* 33. & est singularis.

SINGVLARE XL.

Fides instrumenti Notarialis.

SVMMARIA.

Probationes non angustari, sed ampliari publicè interest. num. 1.
Instrumentum Notariale plenè probat. num. 2.
Instrumentum publicum dicitur veritas apparens & probatio probata. num. 3.
Mortui animalis corio creditur cunctis tacentibus. num. 4.
Notario non creditur, neque validum instrumentum potest recipere sine testibus. num. 5.
Vide tamen. num. 6. remissiuè.

1 CVm publicè intersit probationes rerum gestarum claras esse, & eas non restringi, sed ampliari *l. quoniam.* 11. *in fin. C. de haret. & Manicha. Cachera. decis. Pedemont.* 22. *num.* 5. *Stepha. Gratia. decis. Florenti.* 116. *num.* 5. Principes & legumlatores ac passim vniuersalis praxis Notarios eâ authoritate donarunt, vt instrumenta legitimo mo-
2 do ab illis confecta in iudiciis plenam fidem mereantur, & plenam probationem inducant *l. cum precibus.* 18. *C. de probat. Iose. Mascard. vol.* 2. *de probat. conclus.*

conclus. 906. incipit instrumentum præsumitur verum. num. 4. Io. Sichard. ad Rubr. C. de fide instrumento. num. 2. Vnde instrumentum tale publicum dicitur 3
veritas apparens, & probatio probata non probanda, iuxta *Bald. in l. Imperator* 1. *col.* 2. *ff. de stat. homin. Ias. in repetit. l. admonendi, Vers. successiue Bart. ff. de iureiur. not. Franciscus Viuius decis. Reg. Neapol.* 5. *num.* 10. atque omnia in eo contenta pro manifestis habentur, secundùm eundem *Viuium d. loco nu.* 11. *per c. cum olim. de verbo. signif. c. licet causam de probat. l. final. C. de reb. cred. iuncta glos. prima. Bald. in l.* 1. *in princ. vers. venio ad quæstiones. ff. de oper. no. nunciat.* & non illepidè aliqui Dd. dixere, prodigio- 4
sum id esse quodammodo, vt animalis mortui corio credatur cunctis tacentibus *Abb. in c. tertio loco, de probat. nu.* 5. *vers. oppono. Innoc. in c. cum P. & C. & c. cum Ioannes, de fid. instrum. Felin. in Rubr. de fid. instrũ. Dd. recentiores in repetit. l. admonendi C. de iureiur. Lanfranc. de Oriano in sua praxi cap.* 9. *de instrum. product. sub num.* 41. *teste Iose. Mascard. vol.* 1. *de probat. quæst.* 6. *num.* 3.

Obserua tamen & semper memineris, quod Notario non creditur, neque potest Notarius instrumentum validum recipere sine testibus, vt tradidit 5
Cassan. ad consuetu. Burgund. Rubr. 4. *des droictz & apartenances à gens mariez, in textu, ou d: Notaire & tesmoings, & ibi Additio. per Auth. de tabellio. in princ. colla.* 4. *Authent. de instrument. caute. & fide §. sed instrumenta, colla.* 9. *glos. & Dd. in l. iurisgentium §. quod fere ff. de pact. Alex. cons.* 13. *incip. ex his quæ in themate narrata sunt, in* 4. *col. in* 1. *volu. quod est repetitum in cons.* 18. *in* 4. *volu. & cons.* 96. *in* 1. *vol. notat. glos. in c. quoniam, verb. duos viros, de probat.*

Hinc est, quod licet rogetur Notarius de testamento inter liberos, dictum testamentũ non subsistit, nisi per Notarium coram testibus recitetur: cùm enim priuata sit Notarij scriptura sine testium adhibitione, ideo nisi legitimo modo probetur & habeat debitas solemnitates, etiam filiorum fauore non probabit. *Iosc. Ludouic. conclus. 66. num. 9. vbi citat Bald. Castrens. & Cephal.*

5 Fallunt præmissa quoad acta iudicij. Nam in his Notario soli creditur, *d. c. quoniam, de probat.* & tu vide glos. in §. *si vero absunt, Authent. de hæred. & Falcid. in verb. quantum ad hoc, & text. in §. si verò neque adnumerator d. Authent. de instrum. cautel. & fide.* obseruationes penultima & antepenultima ponuntur pro singularibus.

SINGVLARE XLI.

Officialis.

SI certum præmium sit constitutum ei qui aliquem bannitum capiet, non debetur illud præmium Officiali Potestatis bannitum capiẽti: Quia muneris & officij sui ratione ad hoc tenetur & est obligatus, *arg. l. præses. 3. l. congruit. 13. ff. de offic. Præs. tradit Bartolo. Socin. reg. 234. incip. lex generaliter loquens, vers. fallit trigesimo septimo,* sequendo dictum singulare *Bartol. in l. si quis maior §. vtrum. ff. ad Syllania.*

SIN-

SINGVLARE XLII.

De eo quod fieri consueuit.

SVMMARIA.

Consuetudo aliquid agendi vel patiendi sæpè actionem & exceptionem producit, vbi aliàs non competeret. num. 1.
Insignibus exemplis, & quæ ad praxin quotidie applicari possunt, demonstratur. num. 2. 3. 4. 7.
Qui alteri sciens patitur fieri solutionem, censetur mandare. num. 5.
Ratificatio tam verbis quam factis inducitur. num. 6.

ID quod fieri consueuit magni in iure est effectus 1
& multæ considerationis ac nonnunquam actionem & exceptionem parit, vbi nulla aliàs esset futura. Itaque si filiusfamil. consueuerat mutuò accipere pecuniam, quam pater eius creditoribus so- 2
lebat reddere, & mox pater mutatâ sententiâ alicui huiusmodi mutuũ soluere nolit, allegans S.C.ti Macedoniani exceptionem, illa exceptio reiicietur, neque cadet in vllam considerationem. Quia ob solitum morem & consuetudinem de voluntate & cõsensu patris contractus initus fuisse censetur *l. Titianus, vlt. ff. quod cum eo. l. vel vniuersorum. 12. ff. de pignor. actio. Matthæ. de Afflict. decis. Neapol.* 308. *num. 5. post Bald. in l. 2. C. ad Macedon. Alex. in l. si quis patrem. ff. eod. tit. not. Anton. Gomez tom. 2. resolut. cap. 6. num. 2. vers. Vndecimò limita.*

Similiter

3 Similiter si Titius negotia & mercantias patris gesserit, eo sciente & non contradicente, & posteà moriatur, dein pater è vitâ decedat, filij Titij ratione huiusmodi contractus rectè conuenientur, quamuis non patris sui, sed aui sint hæredes. Nam & auus illorum hoc nomine iure poterat conueniri. *Afflict. d.decis.308. in terminis.*

4 Rursus, si quis canonem emphiteuticum soluat ei, qui sciente Domino illum recipere erat solitus, talis solutio emphiteutæ ad liberationem valebit, & frustra Dominus posteà contra eum experietur,

5 singulariter & notâter posuit *Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de iure emphiteut. definit.* 19. quia dum passus fuit ita fieri solutionem, mandasse quoque censetur *l. qui patitur.* 18. *ff. mandati*, & ratum quis

6 habet non tantum verbo, sed etiam facto *l.non tantum.* 5. *ff. rem ratam habe. per nota. Petri Pecky ad c. is qui tacet, num.* 1. *de reg. iur. in* 6.

7 Item si quis mandatario satisfaciat, ignorans mandatum eius reuocatum esse & cessare, non minus ab obligatione liberabitur. *l. eius qui* 41. *ff. de reb. cred. l. si quis seruo.* 18. *l. quod seruus.* 35. *l. cum quis* 38. §. 1. *ff. de solut.* in qua lege dicitur hoc procedere, & soluentem vtique liberari si accipiens sit bonæ fidei, at si fuerit malæ fidei, putà voluerit nummos lucrari & sic furtum committere, tum soluens iuuabitur exceptione, si paratus sit condictionem furtiuam quam aduersus accipientem habet, cedere; quæ lex est plurimum notabilis.

SIN-

SINGVLARE XLIII.

Dispositionem generalibus verbis conceptam, ad suam vel suorum læsionem non referri.

SVMMARIA.

Charitas incipit à seipso. num. 1.
Charitas plus amat se in vngue pedis, quam aduersarium in vertice capitis. num. 2.
Pater non tenetur alere filium si ipse egeat. num. 4.
Idem in vasallo respectu Domini. num. 5.
Nemo debet alienos agros irrigare, suis sitientibus. num. 6.
Nemo præsumitur se ipsum velle ligare. num. 7.
Statutum non ligat statuentem. num. 8.
Nemo potest in se ipsum iurisdictionem exercere. num. 9.
In omni oratione persona loquentis censetur excepta. num. 10.
Literæ status (vti practici vocant) non suspendunt causarum decisionem quas Princeps contra impetrantem habet pendentes, nisi hoc illis exprimatur. num. 11.
Promittens aliquid facere & præstare contra omnes & quascumque personas, non censetur contra se promittere. num. 13.
Cõsanguinei sunt quodãmodo pars nostri coporis. n. 14.
Vasallus

Vasallus non tenetur iuuare Dominum contra se vel patriam, vel Dominum antiquiorem; sed benè contra patrem, filium, fratrem & omnes alios. num. 15.

1 ID natura homini est insitum, vt affectus humanus & vti aiunt charitas à se ipso incipiat. *l. præses. 6. C. de seruit. & aq. c. qui vult, de pœnitent. distinct. 3.* vbi dicitur, qui vult ordinatè dare eleemosynam, à se ipso debet incipere & eam sibi primo dare: est enim eleemosyna opus misericordiæ verissimè, de qua dictum est, miserere animæ tuæ placens Deo: propter hoc renascimur, vt Deo placeamus. *Matthæ. de Afflict. decis. Neapol. 290. num. 8. Iac. Menoch. lib. 3. præsumpt. 46. num. 3. Io. Petr. Surd. de aliment. tit. 7. quæst. 29. in princ. vbi ex Bald. cons. 199. col. 1. vol.*
2 1. dicit, quod charitas plus se amat in vngue pedis, quam aduersariũ in vertice capitis: sanè intellige.

3 Hinc est quod testator non præsumitur plus hæredes proprios, quam se ipsum dilexisse, *Præs. Euerard. cons. 79. num. 2. aliis num. 3. arg. l. cum acutissimi C. de fideic ommis. l. generaliter. 6. §. cum autem C. de instit. substit. & restitut. sub condicio. factis. & l. cum auus 101. ff. de condic. & demonstrat.*

4 Item quod pater filiũ alere non teneatur, si ad se alimentandũ non habeat reditus sufficiẽtes, *Afflict. d decis. 290. num. 9. glos.* loquens in alimentis à liberto debitis patrono *l. si quis à liberis. 5. §. final. in*
5 *verb. liberto ff. de liber. agnosc.* Ita neque vasallus alimenta præstabit Domino, si ipse plus egeat feudo, nec alias habeat facultates, quibus vitam sustineat. *Io. Schneydewinus in Epitome in vsus feudor. parte 8. de amissio. feudi cap. 1. num.* 116. quia magis debet quis

quis sibi, quam aliis prouidere *l. Iulianus. 26. ff. si quis omis. caus. testam.* neque debet alienos agros irrigare, suis sitientibus. *d. l. præses.* 6

Hinc est, quod nemo præsumitur se ipsum velle ligare *l. si peculium. 6. §. sicut ff. de pecul. lega.* Sic Princeps ius aliquod subditis concedendo, manus ex toto sibi claudere non censetur *l. indicium soluitur, cum ibi nota. ff. de iudic.* & statutum ad pœnam eo indictam & ipso facto sine ministerio iudicis incurrendam, non ligat statuentem. *Præs. Euerard. cons. 24. num. 34. in posterioribus editionibus. num. 60. post. Io. Andrea in reg. cui licet, de reg. iur. in 6. in Mercurialibus. eundem Io. Andrea & Canonist. in cap. animarum de constit. lib. 6. Panormita. in c. de illis, de raptor. vbi dicit hanc esse communem opinio. Bartol. in l. Lucius Titius, in fin. ff. de fideicomissa. libertat. Bald. in c. cum omnes, de constit. Angel. in l. 1. ff. quod quisq; iuris.* & tradit *Præs. Euerard. d. loco.* alias rationes fundamentales, quia scilicet cum condere statuta sit iurisdictionis, nemo potest in se iurisdictionem exercere. *l. penult. ff. de arbitr.* itemque quia in omni sermone persona loquentis censetur excepta *l. inquisitio veritatis. 18. C. de solutio. cum similibus.* 7 8 9 10

Iuxta præmissa, literæ status (vti practici loquuntur) à Principe per aliquem obtentæ super causarum & processuum suspensione, non comprehendunt causas ex quibus impetrans Principi tenetur, nisi expressa de iis quoque fiat mentio, & ita fuit in Parlamento Parisiensi iudicatum anno 1386. *Io. Papon libr. 10. tit. 8. arr. 8. Io. Gallus quæst. 105.* est doctrina singularis. 11

Quemadmodum prædicta iure obtinent, eo- 12
dem

dem quoq; modo receptum est, quod promittens accõmodare turrim vel fortalicium contra omnem personam, non tenetur contra se ipsum accommodare. *Imol. in clementi.* 1. *de iureiur. Alex. in l. Paulus* §. *final. ff. de pignor. referente Io. Petr. Surd. de aliment. tit.* 7. *quæst.* 30. *num.* 8. *&* 9. quia est gene-
13 rale, quod dispositio non intelligitur in præiudicium disponentis, imò etsi promiserit quis aliquid facere & præstare contra omnes & quascumq; personas, adhuc non præsumitur contra se ipsum promisisse. *Iac. Menoch. lib.* 3. *præsumpt.* 44. *nu.* 21. *Surd. d. quæst.* 30. *num.* 6. *& seq.*

Item quemadmodum iurans aliquem defendere contra omnem hominem non videtur contra se iurasse, ita neque contra consanguineos suos *l. humanitatis.* 23. *C. de excusat. tutor. Andr. Tiraquel. pulchrè & per multa firmans hoc dictum in tractat. de pœn. temper. &c. causa* 51. *num.* 79. *Petr. Peckius ad c. non*
14 *est obligatorium, vers. amplia* 5. *de reg. iur. in* 6. Quia & consanguinei sunt quodammodo pars corporis nostri. *text. singular. l. cum scimus, ad fi. C. de agricol. & censit. lib.* 11. & nemo vnquam suam carnem odio habuit. *c. non æstimemus.* 13. *quæst.* 2.

15 Aduerte, quia in materiâ feudali, quamuis Vasallus non teneatur Dominum contra se iuuare vel contra patriam *Iul. Clar.* §. *feudum, quæst.* 21. *& ibi additio. in literâ A. Io. Schneydewi. in Epitome in vsus feudo. parte* 5. *nu.* 86. 87. cum patriæ propriè astrictus sit ratione iurisdictionis, tamen benè iuxta consuetudines feudales, est obligatus Domino præstare auxilium contra patrem vel filium vel fratrem ipsius vasalli, & contra omnes alias personas excepto Domino antiquiore, textus memorandus & singu-

singularis §. *contra omnes, hic finitur lex, de vsibus feudor. Iul. Clar. d. quæst.* 21. *num.* 4. *&* 5. *Schneydevvi. d. loco num.* 87. *& seq.*

SINGVLARE XLIIII.

Textus in l. qui ducenta ff. de rebus dub.

TEstator qui deposuerat ducenta, ita legauit; Scio cum ducētis quæ apud eum deposui trecenta lego, quæritur an legatarius supra depositum adhuc centum, an verò trecenta consequi debeat? Dic quod trecenta. Quia duæ summæ coniunctæ sunt per coniunctionem *cum*, quæ accipitur pro copulatiua *&*, atque in dubio censetur cadere inter diuersa, textus singularis & notabilis *in l. is qui ducenta.* 13. *ff. de rebus dub. in princ.*

SINGVLARE XLV.

An restituatur in integrum minor 25. annis, qui ex statuto pro maiore habetur.

MAior viginti quinque annis, in his quæ gessit post minorem ætatem cōpletam, non gaudet beneficio in integrum restitutionis, quamuis sit in illo quadriennio, quo aduersus ante gesta petere possit restitutionem. Sed dubitatum fuit, quid in illo

illo obtineat, quem statutum habet pro maiore anno decimo octauo vel vigesimo,& sic qui per statutariam fictionem pro maiore habetur, num ratione dicti statuti ab hoc beneficio omninò cen atur exclusus?

Responde quod non. Quia licet statutum faciat eum maiorem & contractum per eum factum validum (qui alioquin si sine utoris vel curatoris authoritate initur esset nullus *Dd. ad l. puberes. ff. de verbo. signific.*) tamen non excludet restitutionem, si intra viginti quinq; annos celebratus fuerit contractus. *glos. in l.1. C. si de momenta. posses. fuer. appella. ibidem Bald. idem Bald. in l. exigendi C. de procurator. Ludouic. Roma. cons. 90. viso themate. Boer. decis. 131. num. 20. quos citat & sequitur in Louaniensi Academiâ quondam clarissimus antecessor Io. Wames. consiliorum de iure Pontific. tom. 1. cons. 59. incip. Dubitaui. num. 2. Idem tenet Sfortia Oddus tractat. de restitut. in integr. parte 1. quæst. 15. artic. 9. num. 75. statuens esse communem opinionem, & Rebuff. super hoc scribens ad constitut. Reg. tit. de restitut. art. 2. glos. 2.* dicit, se sæpius vidisse literas restitutionis concedi istis, etiam de his quę gesserant postquam fictè erant facti maiores, quod nota & habe pro traditione insigni & singulari.

SIN-

SINGVLARE XLVI.

Num emptor annui reditus ſortem repetere poſſit.

SVMMARIA.

Annuorum redituum conſtitutio iuſta. num. 1.

Res ſiue merx & precium ſubſtantialia emptionis & venditionis. num. 2.

Differentia inter mutui contractum, & annui reditus comparationem. num. 3.

Debitor moroſus & litigare ſolitus cogi poteſt ad refundendum ſortem, quâ annuus reditus fuit emptus. num. 4.

Idem ſi huiuſmodi reditum ſe redemiſſe & precium reſtituiſſe fraudulenter excipiat. num. 5.

IVſtam eſſe annuorum redituum cõſtitutionem, 1
& ab omni vſuraria labe immunem latè & doctiſſimè oſtendit *Andr. Gail libr. 2. obſeruat. 7. per tot.* & ratio iuſtificatoria talis contractus inprimis deſignatur, quod verè ſit emptio & venditio, interueniantque ſubſtantialia emptionis & venditio- 2
nis, precium nimirum, id eſt, certa pecuniæ quantitas, & merx, id eſt, reditus annuus ſiue ius reditum annuum percipiendi: ita quidem vt emptor huiuſmodi reditus vel iuris, ſuam ſortem in totum alienet, eiuſque dominium in venditorem ſic trãsferat, vt repeti regulariter non poſſit. In quo præ- 3
memoratus contractus differt à mutuo, cùm in

H mutui

mutui contractu pecunia mutuo data salua maneat creditori, & iuxta conuentionis legem repeti valeat, *vt per Gail ibi sup.*

4 Ab isto regulari dicto memorabilem pono fallentiam & notatu dignissimam, quod videlicet si in præstando reditu venditor moram contrahere & emptorem sumptibus ac litibus vexare soleat, cogi possit ad refundendum & præstandum ipsam sortem: eò quod interest plurimum emptoris, rem non habere cum tam improbo venditore, qui & dilationibus & calumnosis litigiis debiti satisfactionem protelare consueuit. *l. minoribus. 6. ff. de minor. l. 1. ff. de administra. tutor. l. item si res. 4. in fi. ff. de alienat. iudic. mutan. caus. facta.* illud tradit singulariter & præclarè *Anton. Faber in suo C. Fabria.*
5 *tit. de rescind. vendit. definit.* 22. quo loci scribit, idem statuendum, si venditor conuentus ad solutionem reditus dolosè & falso redemptionem à se factam excipiat, & hoc modo conetur emptorem suo iure fraudare.

SINGVLARE XLVII.

Mandatum morte mandantis extingui; eius axiomatis notabiles traduntur fallentiæ complures.

SVMMARIA.

Ignorantia non potest tribuere iurisdictionem non habenti. num. 15.

Vbi

Vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Ibidem.

REgulariter traditur morte mandantis expirare mandatum. *l. si quidem.8. C. de actio. & obligat. l. mandatum. 15. C. manda. clementi. final. de procurat. §. rectè instit. mandati. Abb. in c. gratum, de offic. & potesta. iudic. deleg. num.10. Anton. Faber in suo C. Fabria. definit.26. tit. de Episc. & Cleric.* quæ traditio limitatur multis modis & notanter imprimis sequentibus.

Primò fallit dicta regula in mandato facto ad vtilitatem causę piæ, putà constructionem Ecclesiæ vel pij loci. *Io. Sichard. ad d. l. si quidem. Francisc. Viuius decis. Reg. Neapol. 494. num.2. sequendo Bald. in d. l. mandatum. col. 3. C. manda. Alex. in l. fundi col. final. ff. de acq. possess. Ias. in l. eius qui in prouincia, §. placebat, num. 1. ff. si cert. peta. Socin. Roma. Felin. Horat. Mandos. à se citatos. notat Rebuff. tracta. de priuileg. Vniuersitatum, collegior. &c. priuilegio* 80. *referens Bald. in Auth. si qua mulier circa fin. C. de sacros. Ecclesi. dicentem pro hoc esse vnicum text. in c. exiit qui seminat, vers. in eo verò casu, de verbo. signific. in 6.* 1

Ex quo etiam notabiliter infertur, si institori suo vel alteri quis mandauerit, vt scholastico pauperi det cētum aureos & antequam traditæ sint pecuniæ è vitâ excedat, ista nihilominus centum deberi, neque per hæredem mandatum reuocari potest. *Rebuff. d. loco.* subdens occurrente casu se hoc Tholosæ vidisse seruari. 2

Secundò fallit fauore dotis. Quia si mandauero, vt centum puellæ des in dotem, licet moriar 3

priusquam tu des, puella te mandatarium poterit conuenire *l. si ego. §. 1. ff. de iure dot. Francisc. Viuius d. decis. 494. num. 10. per tex. d. l. si ego Bald. in c. cum venissent col. 2. de test. Felin. in c. relatum, num. 2. vers. secundo fallit, de offic. & potesta. iudic. delega.*

4 Tertiò concordiæ causâ, puta si vulneratus mandet alicui, vt cum eo qui ipsum læsit de pace & cõcordiâ conueniat. *Bald. in addit. ad Speculat. tit. de homicid. Ioan. Sichard. ad d. l. 8. in fin. C. de act. & obligat.*

5 Quartò in literis dimissoriis, quæ non expirant per mortem aut finitam potestatem concedentis etiam re integrâ. *Stepha. Gratia. decis. Florenti. 98. num. 20. Cardinal. in clement. final. de elect. quæst. 1. Rebuff. de forma dimiss. num. 39. Nauar. cons. 1. de tempor. ordinat.*

6 Quintò in mandato iudicis ad citandum vel exequendum. *Bartol in l. venditor. §. iudices. ff. de iudic. Chassan. ad consuetud. Burgund. Rubr. 1. §. 6. num. 79.*

7 Sextò fallit in literis gratiæ, quia per mortem summi Pontificis non cessat earum effectus. *c. si super gratia, de offic. delegа. in 6. Peckius ad c. accessorium, num. 3. de reg. iur. in 6.*

8 Septimò eodem modo regula fallit in executore per Papam constituto super demandatâ receptione in canonicum. Non enim extinguitur executoris officium per obitum Papæ. *Peckius d. loco.*

9 Octauò vbicumque mandatum inchoatum discernitur in aliqua eius specie, non finitur morte mandantis. *Ruinus cons. 115. num. 6. & 11. vol. 1. Bursat. cons. 412. num. 6. vol. 4.* vbi ponit tres casus, quod interueniente receptione partis debiti, notificatione

ficatione vel confessione mandatum non expiret morte mandantis, *teste Vivio d. decis. 491. num. 4.*

Nonò, si mandet quis aliquid fieri putà Titio solui post mortem *l. si verò non remunerãdi. 12. §. vlt. ff. mandati.* Qua ratione mandatum de vniendis beneficiis quibuslibet quomodocumque & quandocumque vacaturis, etiamsi Sedi Apostolicæ essent affecta & vacarent in manibus Papæ pro tempore existentis, non dicitur finitum morte, & potest delegatus vnire beneficia, etiam quæ post mortem delegantis vacarint, modò viuo eo Pontifice qui mandauerat, accepisset mandatum & bullas (vt loquuntur) fulminari curasset. acceptum enim & executioni mandari cœptum esse mandatum oportet, cùm hoc re adhuc omninò integrâ facilius soleat reuocari *§. rectè Instit. de mandat. Anton Faber in suo C. Fabria. definit. 26. tit. de Episcop. & Cleric.* 10

Decimò, quæro quid dicendum in officiis, an illa expirent morte concedentis? Super isto puncto vide tradita & remissiones positas *per Chassana. ad consuetud. Burgund. Rubr. 1. §. 6. num. 81. & aliis seqq.* 11

Vndecimò, fallit prædicta positio, cum mandatum est factum de eo, ad quod mandans tenebatur; vt si emptorem mandauerit in possessionem fundi venditi induci, non finitur huiusmodi mandatum morte, potest tamen per mandantis hæredes reuocari *text. l. fundi venditor. 33. ff. de acquir. vel amittend. possess. Socin. reg. 311. al. reg. 254.* 12

Duodecimò fallit, quia mandatum non finitur morte proximi mandantis, si alius superior mandans supersit ad quem negocium præcipuè spectat, 13

vt cum procurator datus alium procuratorem substituit, siue ab initio talis potestas & facultas à principali in eum fuerit collata, vt fieri plerumque solet, siue litem sit contestatus. *Anton. Faber in d. suo C. definit.* 19. *tit. manda. iunctis ibid. nota. per l. nulla dubitatio* 23. *C. de procurat. Io. Papon libr.* 6. *tit.* 4. *arr.* 15.

14 Decimò tertiò in delegato, cum virtute delegationis citatio facta est, & tum maximè si delegatus non sit certus de morte delegantis *c. relatum c. gratum, de offic. delega.* quia dicitur quasi cœptum esse negocium *d. textu.*

Obserua necessariò citationem factam esse debere. Nam aliàs si res foret integra, iurisdictio delegati per mortem delegantis expiraret, nec valeret processus posteà agitatus, licet delegatus mor-
15 tem delegantis ignorasset, quia ignorantia non potest tribuere iurisdictionem non habenti, vt in *l. priuatorum consensus.* 3. *C. de iurisdict. omni. iudic.* item quia iura indistinctè loquuntur, neque nobis hoc casu inter ignorātiam & scientiam distinctio est facienda *l. præses prouinciæ.* 3. *ff. de offic. Præs. c. si Romanorum.* 19. *distinct. c. solitæ, vers. nos autem, de maiorita. & obedi. hac est Bartol. & communis opinio iuxta Abbatem in d. c. gratum. num.* 10. *de offic. & potesta. indic. delega.*

16 Decimò quartò, in mandato respiciente commodum mandantis, puta vt quis accipiat suo nomine alicuius rei possessionem; non censetur mandatum reuocatum per mortem constituentis, sed potest & debet executio fieri post eius mortem. *Viuius d. decis.* 494. *num.* 9.

Fallentiæ prima, secunda, tertia, sexta, septima,

& decimatertia sunt singulares; & omnia prædicta benè obserua, quia alibi non reperies ita digesta.

SINGVLARE XLVIII.

Generalitatem orationis ad ea quæ specificè expressa sunt, non pertinere.

SI quis legauerit certam summam omnibus conuentibus alicuius ciuitatis, & posteà aliam summam omnibus Ecclesiis eiusdem ciuitatis, quæritur an isti conuentus vltra suum legatum partem etiam in hoc posteriori legato consequentur? Dic quod non. Quia verba generalia non pertinent ad ea, de quibus cautum fuit nominatim. *l. sed etsi per Prætorem.* 26. *§ hæc clausula, vers. deinde. ff. ex quib. caus. maior. l. stipulationes.* 53. *ff. de verbo. obligat. l. alimenta.* 16. *§. Basilica. ff. de aliment. lega.* & clausula generalis non refertur ad specificata *l. doli clausula,* 119. *ff. de verbo. obligat.* ita decisum fuit Tholosæ vt per *decis. Capell. Tholosa. quæst.* 58. vbi dicit Aufrer. in addit. legata Priori biblia, & fratribus omnibus capa, Priorem ad capam non admitti, per *d. l. doli clausula & l. sanctio legum. ff. de pœnis*, est dictum notandum & singulare.

SINGVLARE XLIX.

Depoſitum.

HAbe memoriæ impreſſum, quod retentio nulla competit in re depoſitâ ſub colore alicuius prætentionis, quam contra deponentem ſe habere depoſitarius allegat, quodque Domino depoſitum repetenti, illud omninò ſit reſtituendum, neque compenſatio etiam obiici poſſit *l. vlt. in fin. C. de compenſat. l. penult. C. depoſiti c. bona fides. x. eod. tit.* Quia depoſitarius non ſub hoc modo depoſitum accepit, vt non conceſſa ei retentio generetur, & cōtractus qui ex bonâ fide oritur ad perfidiam trahatur, vt dicit *text. d. l. penult. & d. c. bona fides.* neque ergo debet actus vltra intentionem agentium operari, neque fides eius qui neceſſitate plerumque compulſus alteri rem ſuam conſeruandam tradidit, per exceptiones & retardationes eludi. Nota, quia in praxi quotidianum, & eſt traditio ad quam multi non aduerterent, & ſingularis.

SINGVLARE L.

Teſtis referens ſe in examinatione ad anteriorem ſuam depoſitionem non ſolennem.

TEſtis ſecundò examinatus, ſi referat ſe ad depoſitionem quam ante minus ſolenniter fecit, puta

puta ſine præſtatione iuramenti, in iudicis arbitrio eſt, tale teſtimonium admittere vel ſecus. Ita ſingulariter reſoluunt *Franciſ. Viuius opin.* 911. *incip. teſtes nulliter recepti. num.* 3. *Mynſ. obſ.* 64. *centur.* 3. vbi ſcribit ſe hoc aliquoties in Camera Imperiali obſeruari vidiſſe.

SINGVLARE LI.

An debitor inuito creditori alium fideiuſſorem magis locupletem conſtituere quam primo dedit: & contrà fideiuſſore facultatibus lapſo, an creditor debitorem poſſit compellere, vt alium in eius locum ſubſtituat.

SVMMARIA.

Non poteſt aliud pro alio ſolui creditori inuito. num. 1.
Certum pignus dare promittens, præſtando æque idoneum non liberatur. num. 2.
Pacta ad vnguem ſunt ſeruanda. num. 3.
Ob fideiuſſoris etiam magis idonei oblationem, creditor ſemel acceptum dimittere non cogitur. nu. 4.
Probatur duobus aliis exemplis. num. 5.
Hæres non poteſt recedere à voluntate teſtatoris, quamuis coniecturata. num. 6.

Quando

Quando fideiussoris condicione in deterius mutata, alium dari oporteat. num. 7.

1 CErti iuris est, quod inuito creditori aliud pro alio solui non potest. *l. cum à quo* 16. *C. de solut. Stephan. Gratia. decis. Florenti.* 141. *num.* 4. neque debitor genus pro genere, neque species, pro genere, aut speciem pro specie volens dare satisfacit *l.* 2. §. *mutui datio & ibi glos. ff. si cert. peta.* Quare is qui vnum fideiussorem dare promisit, duos da-
2 re non potest, quorum vnusquisque pro dimidio debiti se sit obligaturus. *Ioannes Petrus Surdus decision. Mantua.* 174. *num.* 29. *& seqq.* promittens dare certum pignus, non liberatur dando aliud æque idoneum *l. qui autem* 14. §. 1. *ff. de*
3 *constit. pecu.* Quippe pacta & conuentiones cum dent certam legem & formam contractibus, inprimis & ad vnguem sequenda ac seruanda sunt *l. iurisgentium.* 7. §. *Prætor ait. ff. de pact. l.* 1. §. *si conueniat. ff. depositi.* Neque ab eo quod semel placuit, vna pars alterâ inuitâ potest resilire *c. quod semel, de reg. iur. in 6. & vulgat. iuribus.*

4 Eadem ratione, si fideiussorem debitor dederit & post aliquod tempus alium offerat æque idoneum, non cogitur creditor illum recipere, *d. l. qui autem.*

Amplia hoc dictum multum signanter, namque procedit & locum habet quamuis debitor offerat alium magis idoneum & locupletem fideiussorem *Eman. Soarez in thesaur. recepta. sententia. verb. fideiussor. num.* 156. & ita casu occurrente consului.

5 Pro hoc notabili adduco, quæ in similibus eleganter scripta reliquit doctissimus *D. Surdus tracta.*

de

de aliment. tit. 2. quæst. 15. num. 66. & seq. Posito, quod vsusfructus vxori relictus extantibus liberis ex consuetudine Bulgari restringatur ad alimenta, de quo *idem d. loco. num.* 1. liberi totum vsumfructum pro hisce alimentis matri inuitæ assignare aut cedere non possunt. Quia non debet aliud pro alio solui inuito creditori, vt per superius allegata, & hæres non potest recedere à voluntate testatoris. 6
quamuis coniecturata *l. etsi inutiliter 2. l. cum virum. 16. cum ibi nota. C. de fideicommiss.*

Item statuto filias excludente cum masculi extant, ita tamen quod dotari debeant filiæ, non poterit masculus se eximere ab onere dotandi, quamuis sit paratus sororẽ admittere ad bonorũ paternorum successionem, ea contradicente & reluctante *Surd. d. loco num. 68.*

Sed quid iuris erit in alio casu, non minus quam 7
anterior quotidiano, si debitor fideiussorem dederit, & is mutata facultatum suarum condicione fiat inidoneus, anne cogi poterit debitor, vt nouum & sufficientem constituat? Istam quæstionem ponit *Anton. Gomez. tom. 2. resolut. cap. 13. num. 7.* & resoluit distinguendo. Nimirum si fideiussor ex necessitate pro forma & substantia actus ex legis dispositione fuerit constitutus, benè hoc casu debitorem de nouo satisdare, & alium fideiussorem dare oportebit. Sic legatarius cui sub condicione quid relictum est, & ex legis dispositione officio iudicis caueri debet, si fideiussor hoc nomine datus, factus sit non soluendo, benè de alio sibi prouideri postulabit. Si verò ex conuentione partium fideiussor datus & acceptus fuerit, quamuis postea facultatibus labatur & insufficiens euadat, debitor

alium

alium dare non tenetur: ita *Bartol. in l. 3. ff. de fideiussor. final. col. & quaestio. & ibi communiter Dd. Idem Bartol. in l. praetoria. 3. ff. de praetor. stipulat. Angel. Paul. & communiter Dd. in l. quoties. ff. qui satisd. cog.* notante singulariter admodum & eximiè *Anton. Gomez. d. loco num. 7. & post illum Hieron. Treutlera selecta. disputat. vol. 2. disputat. 28. in notis ad thesin 2. litera F.*

SINGVLARE LII.

De tacita iuris sui remissione.

SVMMARIA.

In dubio nemo praesumitur iuri suo renunciare. nu. 1.
Renunciatio est donatio. Ibid.
Actus qui aliter potest interpretari, non est dicendus quod donationem contineat. num. 2.
Error & fatuitas potius praesumitur, quam donatio. num. 3.
Vna praesumptio aliam enervat, & fortior tollit debiliorem. num. 4.
Casus multi enumerantur, quibus tacitè quis de iure suo dicitur recessisse. num. 5. & seq.
Condicio potestativa non retrò trahitur. num. 6.
Prohibita alienatione censetur prohibita praescriptio. num. 7.
Vltima mora nocet moroso. num. 8.
Iniuriarum actio tollitur & aboletur dissimulatione. num. 9.

Dolus

Dolus facit cessare beneficium legis. num. 10.

IN dubio nemo præsumitur iuri suo renunciasse, 1
cum hoc sit idē quod donare. *l. si quis delegauerit.* 12. *ff. de nouat. Dec. in l. postquam liti, num.* 15. *C. de pact. Iac. Menoch. libro tertio præsumpt.* 45. *num.* 11. *Idem libr.* 3. *præsumpt.* 112. *num.* 28. & donationis 2
præsumptio semper cessat, vbi capi potest alia coniectura *l. cum de indebito.* 25. *ff. de probat. l. si cum aurum.* 50. *ff. de solut. l. eleganter.* 24. §. *qui reprobos. ff. de pignorat. actio. Io. Petr. Surd. tracta. de aliment. tit.* 6. *quæst.* 1. *num.* 1. *& seq. ibid. quæst.* 5. *num.* 7. *& seq. Iose. Mascard. vol.* 1. *de probat. conclus.* 555. *num.* 13. *Mattha. de Afflict. decis.* 44. *num.* 24. *Stepha. Gratia. decis. Florenti.* 19. *num.* 34. In tantum, quod 3
potius error ac fatuitas præsumatur, quam donatio, vti notat commune *Eman. Soarez in thesaur. recepta. sententiar. Verb. Donatio, num.* 231. *vers. Donatio non præsumitur. Iose. Ludouici conclus.* 9. *num.* 3. *Præs. Euerard. cons.* 59. *num.* 4. *Idem cons.* 200. *num.* 7. *al. num.* 14. *Mascard. d. loco num.* 7. Hinc ergo semper facienda & admittēda est illa interpretatio, per quam arcetur & excluditur præsumptio renunciationis. *Iose. Mascard. vol.* 3. *de probat. conclus.* 1179. *incip. Pignus, num.* 2. 3. *& seq. Præs. Euerard. d. cons.* 200. *num.* 7. *&* 8.

Multis tamen casibus iuxta facti & personarum qualitates ac circumstantias, etiam iuris sui remissio præsumptiuè procedit, de quibus hoc singulari intendimus agere. Quia & hoc notum est, quod 4
vna præsumptio aliam eneruat, & fortior ac potentior tollit debiliorem & minus potentem. *Cachera. decis. Pedemont.* 154. *nu.* 13. *Petr. Peckius ad c. quod quis*

mandato,

mandato, verb. non videtur, de reg. iur. in 6. Andr. Gail libr. 2. *obs.* 97. *num.* 18.

5 Primò, ergo fallit ista theorica generalis in creditore emente rem sibi pignoratam, quia dum emptione mediante illius rei dominium plenè consequitur, à pignoris iure quod sibi competebat, recedere dicitur *l. Titius.* 9. *in princ. ff. quib. mod. pign. vel hypothe. sol. Surdus decis. Mantua.* 51. *num.* 3.

Secundò fallit, & idem dicendum de emptore rei, quæ sibi seruitutem debebat. Extinguitur enim dicta seruitus superueniente dominio per confusionem, non secus atque vsusfructus per consolidationem, proprietatem vsufructuario adipiscente *l.* 1. *ff. quemadmodum seruit. amit. §. final. Instit. de vsufr.*

Tertiò fallit, in minore petente precium rei, quæ sine legitima solennitatum obseruatione vendita est, quia nullitati seu iuri dicendi nullam alienationem videtur renunciare *Surd. tracta. de aliment. tit.* 6. *quæst.* 3. *num.* 65.

Quartò, in eo qui bona habuit in solutum, & posteà debiti partem accepit. Videtur namq; à datione in solutum recedere, *Surdus decis. Mantua.* 92. *num.* 12. *& seq.*

Quintò, in vxore, cui vestes lugubres à marito sunt legatæ: si istas intra annum luctus non petiuit, postea petere non potest. Nempe cum huic legato insit condicio potestatiua, *si petat aut si volet,*
6 *l. si ita legatum* 68. *ff. de leg.* 1. quæ quidem condicio non retrotrahitur *l.* 1. *§. serui. ff. ad S.C. Syllania.* firmat signanter *Petr. Peckius tracta. de testam. coniug. libr.* 5. *cap.* 29. *num.* 4. *Stepha. Bertrand. cons.* 81. *libr.* 1.

Sextò

Sextò fallit in decimis, quæ etsi singulis annis debeantur, etiam citra interpellationem, si tamen suo tempore petitæ non fuerint, postea pro annis præteritis peti non possunt, quasi tacito iudicio fuerint remissæ. *Anton. Faber in suo C.* Fabria. *lib.* 1. *tit.* 2. *definit.* 66. vbi ita scribit à Senatu Sabaudiæ iudicatum in causa Reuerend. Patrum Societatis IESV Camber. & Syndicorum de Megeue mense Martio 1594. *citat Rot. decis. de decim. in antiq. Balb. de præscript. in prima parte quintæ partis principalis, quæst.* 7.

Septimò fallit in vxore, cui aliquid relictum fuit sub condicione, si dotem non petierit, quando ab hærede sponte soluente dotem recepit, legatum amittit, super quo tamen articulo vide *Io. Dilect. de arte testan. tit.* 6. *caute.* 61.

Octauò fallit in eo, qui tempora petendi bonorum possessionem, id est, spacium centum dierum ad hoc constitutum, patitur elabi, quia tacitè iuri suo renuntiasse videtur. *Petr. Peckius ad c. ratihabitionem, num.* 14. *de reg. iur. in* 6.

Nonò fallit in eo, qui patitur rem suam præscribi, videtur enim volens istam rem alienare & sic eius proprietatem à se abdicare. Vnde prohibitâ alienatione, censetur etiam præscriptio interdicta, *Surd. decis. Mantua.* 3. *num.* 23.

Decimò fallit in eo, qui petit aut accipit aliquid pro restâ (vti loquuntur) intelligitur enim generaliter debitum remittere & pacisci de non petendo. *l. si ex pluribus.* 89. *in princ. & ibi gloss. ff. de solut. Anton. Faber in d. suo C. Fabria. tit. solut. matrimon. definit.* 14. *in nota. ibi. num.* 2.

Vndecimò fallit, in iudice carceribus includente

te reum, pro quo fideiussores intercesserunt. Si postea reus fugam ineat & euadat, non poterit iudex molestare fideiussores: quia in carceribus detinendo, videtur ab obligatione fideiussorum recedere. *Surd.decis.Mantua.*51.*num.*2.*Mattha. de Afflict. decis. Neapol.* 130.

Duodecimò fallit, in creditore qui apposuit pœnam si non soluatur principale, si posteà recipiat partem principalis, renunciare videtur dictæ pœnæ *c. suam. x. de pœn. Guid.Papa quæst.*174.*vers. item si creditor apponat pœnam.*

Decimò tertiò fallit, in eo qui appellauit si petat ad soluendum dilationem, quia habetur pro renunciante appellationi à se interpositæ *l. ad solutionem.* 5. *C. de re indic. Surd. de aliment. tit.* 6. *quæst.* 3. *num.* 63.

Decimò quartò fallit, in Domino feudi recipiente solita seruitia à vasallo, qui debito tempore inuestituram non petiit. Quippe videtur remittere caducitatem, si non fuit ignarus quod res feudalis in illam incidisset. *Surd. decis. Mantua.* 203.*num.* 19. *Iac. Menoch. libr.* 3. *præsumpt.* 112. *num.* 13. *pulchrè Io.Schneydewi. in epitome in vsus feudor. parte* 5. *num.*32. 34.

Decimò quintò fallit, in hærede prohibito legatarium molestare, sub pœnâ priuationis hæreditatis, qui si ei molestiam intulerit & per legatarium nihilominus ad implendum interpelletur, videbitur ei pœna remissa. *Surd. de aliment. tit.* 9. *quæst.* 26. *num.*128.

Decimò sextò fallit in venditore, qui lapso termino ad soluendum præstituto à contractu poterat recedere, si illo termino lapso & solutione non factâ,

factâ, protestetur non traditurum se rem, nisi prius ab emptore omnia promissa seruentur, per hoc resolutionem contractus censetur remisisse, ita *post Angel. & Cranet. à se allegatos Surd. d. quæst. 26. num.* 129.

Decimò septimò fallit, si creditor debitori quem interpellando in morâ constituerat, dat dilationem, eo ipso à primâ illâ morâ discessisse, & veluti per contrarium actum interpellationi renunciasse intelligitur. *l. Æmilius, vers. dicebam ff. de minor. Petr. Peck. ad c. non est in mora, vers. amplia tertio, de reg. iur. in 6.* 8

Decimò octauò fallit casu quo donatarius tenetur alere donatorem, de quo *Surd. de aliment. tit.* 1. *quæst.* 48. si donator post commissam moram à donatario, ad eum reuertatur & ab eo donationis vigore recipiat alimenta, videtur tacitè remittere facultatem reuocandi donationem. *Surd. d. quæst.* 48.

Decimò nonò fallit in marito, qui sciens adulterium ab vxore commissum, si in vitâ eam non accusauit neque egit ad amissionem dotis, frustra hoc nomine post eius mortem hæredes viduæ molestiam inferent. Censetur enim defunctus ob suam taciturnitatem delinquenti ignouisse. *l. si vxor.* 13. *§. final. ff. de adulter. l.* 1. *in fin. ff. ad S.C. Syllania. Cachera. decis. Pedemont.* 77 *num.* 36. *Francis. Viuius opin.* 1060. *num.* 29. *Anton. Gabriel. libr.* 7. *commun. conclus.* 35. *tit. de maleficiis, num.* 8. *vbi num. seq. ponit declaratio. additio. ad Io. Papon libr.* 22. *tit. d'adulteres & fornications.* 9. *arr.* 16.

Vigesimò fallit in contumaciâ incursâ per non responsionem factam positionibus, quæ dicitur

remissa cum pars vrget & instat vt positionibus respondeatur. *Iose. Ludouici decis. Lucens. 5. num. 61. & seq.*

Vigesimò primò fallit in eo qui adit iudicem, cum possit aliquid agere propriâ authoritate, preiudicat enim sibi & renunciare videtur facultati sibi competenti. *Surd. d. decis. Mantua. 92. in fin.*

Vigesimò secundò fallit, si partes non obseruent instrumentum, & aliquod temporis spacium accedat, præsumuntur in eo contentis & descriptis renunciare, *Iose. Mascard. vol. 3. de probat. conclus. 1270. incip. Renunciatio, num. 24. referens Brun. cons. 95. num. 5. & seq. Bertaz. cons. ciui. 1. num. 132. vol. 1.*

Vigesimò tertiò fallit in iniuriâ affecto, qui si postmodũ cum offensore conuersationẽ & consuetudinem habet, iniuriam censetur condonasse. *Iul. Clarus §. iniuria. num. 10. in recept. sentent.* imò si iniuriam passus statim ad animum suum non reuo-
9 cauit, postmodum eius intuitu nequit viâ iuris experiri, cum talis actio dissimulatione aboleatur §. *fina. Instit. de iniur.*

Vigesimò quartò fallit, si res aliena pignori detur Domino sciente & dissimulãte in fraudem creditoris ignorantis, valet pignoris constitutio. *l. mulier. 11. C. de distract. pignor. Anton. Faber in d. suo C. Fabria. tit. de pignor. definit. 6.* & sic videmus in simili, quod dolus beneficium legis etiam in fauorem mu-
10 lierum inductum facit cessare, vt *d. l. mulier.*

Vigesimò quintò fallit, si vasallus testatur de re feudali præsente Domino & agnatis & non contradicentibus, censentur consentire testamento & sibi præiudicant. Nam quando quis actum contradicendo potest impedire, si præsens sit & taceat, pro

pro consentiente habetur. *Ioan. Schneydewin. in Epitome in vsus feudor. parte 6. vbi agit de successio. in feud. ex testamento. num. 7. fac. Elbert. Leoni. cons. 98. num. 13.*

Vigesimò sextò, fuit dubitatum, stante consuetudine quod inter coniuges sit communio mobilium & acquestuum constante matrimonio factorum, si pactis antenuptialibus conuentum fuerit, quod marito præmoriente vxor medietatem mobilium consequetur nullâ acquestuum factâ mentione, an ob hoc præfatis acquestibus renunciasse videbitur? Responde in hoc themate negatiuè, prout arresto iudicatum fuisse refert *Ludouic. Charond. I. C.tus Gallus en ses responses du droict François, libr. 8. respons. 26.*

Præmissæ omnes fallentiæ sunt pulchræ & practicæ, quæ alibi non inuenientur sic positæ; pro singularibus tamen statuo quartam, quintam, sextam, vndecimam, duodecimam, decimam sextam, vigesimam secundam & positionem finalem.

SINGVLARE LIII.

De vidua luxuriosè & inhonestè viuente.

SVMMARIA.

Vidua inhonestè viuens legato per maritum sibi relicto priuatur. num. 1.

Etiam alimentorum. num. 2.

Perdit nobilitatem & priuilegia, quæ defuncti coniugis ratione erat consecuta. num. 3.

Omnia priuilegia amittit, quibus aliàs statuto vel consuetudine viduæ ornantur. num. 4.

A tutelæ officio est amouenda. num. 5.

Omnes pœnas incurrit, quæ secundo nubentibus de iure imponuntur. num. 6.

Mulier conuolans ad secunda vota intra annum luctus, amittit ea quæ ex liberalitate mariti consecuta fuit, & infamiâ notatur. num. 7.

Doërium constituitur mulieri in solatium orbitatis. num. 8.

Statutum arcens à liberorum successione mulierem secundo nubentem, etiam viduam impudicam comprehendit. num. 9.

Vidua libidinosè viuens an dote priuetur non secus quàm si matrimonio constante adulterium commisisset. num. 10.

Doctor referens plures opiniones, vltimam censetur tenuisse & approbasse. num. 11.

1 MVlier quæ post obitum mariti pudorem abiiciens, libidini se dedit ac turpitudini, amittit legatum à viro sibi relictum. Quia non est æquum, illã eius gaudere liberalitate & beneficentiâ, cuius nomen & cineres contumeliâ & probro tam infami contaminat *Bart. & Dd. communiter in l. fideicommissum. 27. C. de fideicommiss. notatur libr. 11. regular. iur. Ciuil. & Pontificij sub axiomate, Mors omnia soluit. vers. Quinquagesimò septimò vidua post mortem viri, fol. mihi 109. col. 1. ex Sebastia. Medic. tracta. parte 3. not. Andr. Tiraquell. tracta. de nobilitate, cap. 18. num. 14.*

Imò

Imò propter inhonestam vitam quam ducit post annum luctus, amittit etiam legatum alimentorum à defuncto coniuge sibi factum, quæ verior est opinio iuxta effatum singulare *Ioan. Petr. Surd. tracta. de aliment. tit. 7. quæst. 24. num. 11. in fin.* quia haberi debet pro expresso, quod disposuisset testator si de eo cogitasset. *l. qui graui. 11. ff. de iure codicillo. l. final. ff. de hæred. instit. l. si duobus. 16. de lega. 1. Cachera. decis. Pedemonta. 64. in fine.* 2

Talis vidua amittit priuilegia ac nobilitatem maritalem, *Guid. Papa quæst. 379.* Vnde in subsidiis Dalphinalibus, vt ibidem loquitur, etiam vidua nobilis defuncti, quæ aliàs durante suâ viduitate esset immunis, si viuat inhonestè contribuet veluti plebeia, nec prærogatiuâ aliquâ potietur. *Idem notat Ioan. Papon lib. 5. tit. de tailles & imposts. 11. arrest. 27.* 3

Imò nullis priuilegiis statuto vel consuetudine viduitati indultis gaudebit. *Franciscus Viuius opin. 789. referens Felin. in c. significantibus. col. penult. de offic. delega. Maria. Socin. & Dd. in c. ex tenore, circa fin. de foro compet. Alciat. in l. malum. §. viduam. ff. de verbor. signific. §. quæ verò, & ibi Dd. Authent. de nupt. gloss. & Dd. in Authent. sacramentum. C. quand. mul. tute. offic. fung. & Authent. eisdem pœnis. C. de secund. nupt.* Quare si ex statuto in causis viduarum summariè sit procedendum, si earum iuramento super interesse dotis credendum, vel interesse super earum dotibus taxant, non procedent illa in viduis inhonestè viuentibus, singulariter scripsit *Franciscus Viuius d. loco. vers. & hoc diligenter nota.* 4

Item huiusmodi vidua à tutelæ officio venit remouenda, etiamsi vnius tantum effecta sit concu- 5

bina *l. final. C. quand. mul. tute. offic. fung. ibi, si pudicitiam suam intactam conseruet. Iodoc. Damhouder. in tracta. cui titulum dedit, Patrocinium pupillorum. tit. de Tutor. & Curato munere, cap. 5. num. 12. & seq. Bald. in d. Auth. sacramentum.*

6 Præterea omnes pœnæ secundò nubentibus impositæ afficiunt talem viduam, est dictum magnum & singulare, quod notat *Damhouder. d. cap. 5. nu. 12. Petr. Duenn. reg. 12. vers. contrariam tamen opinionem. Franciscus Viuius d. opinio. 789. Anton. Gabriel. lib. 3. conclus. 8. in princ. tit. de secund. nupt.* vbi dicit mulierem in hac materia intelligi inhoneste viuere per sola præparatoria, putà per colloquia & oscula, quod cum discretione & iudicio intelligendum. Ad hoc in casu speciali de amissione doerij agens sic infert *Ludouic. Charond. Gallus in suo tra-*
7 *ctatu des Memorables ou obseruations du droict François, verb. Femme. fol. mihi* 410. Si de iure ciuili, inquit, illa quæ saltem legitimum, id est, iuxta leges firmum ac validum matrimonium contrahit intra annum luctus, lucro nuptiali & iis quæ ex mariti liberalitate consecuta est priuatur & infamis efficitur *l. liberorum. 11. §. non solent. ff. de his qui not. infam. l. 1. C. de secund. nupt.* maiori cum ratione, vidua quæ intra dictum tempus lasciuè & obscœnè vixit, doërium suum ex bonis mariti non conse-
8 quetur, cum & hoc in leuamen & solatium suæ orbitatis ei sit constitutum, & ita refert arresto Parisiensi determinatum fuisse 11. April. anno 1571. *pro quo est Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de iure dot. definit. 7.*

9 Statutum quoq; excludens mulierem transeuntem ad secunda vota à successione filiorum primi matrimo-

matrimonij, comprehendit viduam luxurioſè viuentem, *Viuius d. opinio.* 789. *num.* 2. *Gabriel. d. concluſ.* 8. *num.* 4. in quo tamen themate *Gabriel. ibidem ex Brun. in tracta. quod ſtantibus maſculis. quæſt.* 27. monet verba ſtatuti eſſe attendenda, an videlicet impudicitia mulieris conſideretur, vel ſecus.

Quid dicendum de huiuſmodi viduâ diſſolutam 10
vitam agente, an etiam dotem amittat, quemadmodum ſi matrimonio conſtante adulterio ſe obſtringeret? iſta quæſtio à Dd. multùm fuit agitata & olim à me inter alias ex vtroque iure deſumptas in alma Andegauenſi Vniuerſitate pro gradu Doctoratus conſequendo publicę diſputationi propoſita. Poſſent in vtramque partem quàm plurima argumenta adduci, neque deſunt grauiſſimi authores quorum aliqui affirmatiuā tenuêre, inter quos *Caſtrenſ. in l. ſororem. num.* 4. *C. de iis quibus vt indign. & in conſ.* 147. *reuocatur in dubium. libr.* 2. *Corn. in d. l. ſororem. & in l. fideicommiſſum poſt Salicet. ibid. C. de fideicommiſ. Præpoſ. in c.* 1. *§. item ſi fidelis, col.* 1. *quibus mod. feud. amitt. & in c.* 2. *de feud. ſine culpa amit. Iacobin. in d. l. ſororem C. de iis quib. vt indig. & in inueſtitura feudali in verb. dicti vaſalli, cauſ.* 9. *Marſil. & alij quos ad longum recenſet Iac. Menoch. lib.* 5. *præſumpt.* 32. *num.* 18.

Alij diſtinctionis fœdere conati ſunt negotium componere, vt *Cachera. deciſ. Pedemonta.* 77. vbi latè in vtramque partem diſputat, & in fine citat *Io. de Garronibus in repetit. Auth. eiſdem pœnis, antè dicta, num.* 18. tradentem, quod aut ſtuprum fuit cōmiſſum intra annum luctus, & tunc propter ſtuprū vidua dotem amittit, ſicut & alia bona; & ita

loquuntur secundum eum iura loquentia de amissione; aut post annum & non amittit, & sequitur *Bermontius de publ. concubi. in tit. de adulter. num. 62. & seq. col. 53. Alciat. de præsumptio. reg. 2. præsumpt. 9. vers. ego tamen.*

Negatiuam & quidem saniorem ac rerum iudicatarum authoritate munitam, non inferioris notæ authores indistinctè sunt amplexi, quos recenset *Menoch. d. præsumpt. 32. num. 21. & inter alios Decium scribentem hanc opinionem esse æquiorem, Boer. ita in Curia Burdegalensi decisum fuisse, Couuar. dicentem sæpius pro hac sententia iudicatum, quos sequi vide-*
11 *tur Menoch. ponens vltimo loco istam opinio.* Nam Doctor referens plures opiniones, illam quam vltimo loco affirmauit & probauit, censendus est tenuisse. *Guid. Papa quæst. 439. in medio. Crescent. decis. Rotæ 6. de iure patronat. num. 7. al. decis. 178. Menoch. lib. 2. præsumpt. 71. num. 45. 46. Socin. reg. 261. incip. Iureconsultus qui format. Idem reiectâ præcedenti distinctione censet Petr. Duen. reg. 12. vers. Contrariam. Iul. Clarus §. stuprum. vers. sed nunquid. monens ab hac opinione tanquam benigniore in iudicando non esse recedendum, & eodem modo indistinctè negat Anton. Gomez. ad l. 80. Tauri, num. 70. & Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de iure dot. definit. 7. scribens ita iudicatum in Senatu Sabaudiæ 7. Cal. Mart. 1589. non attentâ dictâ distinctione.* Cui doctrinæ in dicta mea publica disputatione Andegauensi calculum addidi: & hanc tene pro memorabili.

SIN-

SINGVLARE LIIII.

An tertio abſente laudum arbitri proferre poſſint.

SVMMARIA.

Differentia inter ius Ciuile & Canonicum. num. 1.
Quando vtrumque ius in ſuo foro reſpectiuè obſeruetur. num. 2.

SI in tres arbitros fuerit compromiſſum, duo ex 1
iis etiamſi concordes fuerint, tertio abſente valide pronunciare non poſſunt de iure ciuili, quamuis ille tertius etiam fuerit requiſitus; ex eo quod in plures fuit compromiſſum, & potuit præſentia abſentis cæteros in aliam ſententiam trahere *text. l. ſi tres. 20. ff. de recept. arbitr. l. ſi vnus. 19. §. item ſi plures. ff. eod. tit. c. 2. de arbitr. in 6. Franciſcus Viuius deciſ. Regni Neapol. 6. num. 3. Idem deciſ. 280. num. 13. Dd. ad l. duo ex tribus. ff. de re iudic. Anton. Blancus tracta. de compromiſſis quæſt. 9. de ſentent. & earum effectu & executione. num. 53.*

Secus eſt de iure Canonico. Nam tertio illo requiſito ad negotium vnà cum aliis examinandum vel definiendum, ſi legitimo impedimento ceſſante non compareat, poterunt duo ſententiam arbitralem rectè proferre *d. c. 2. de arbitr. in 6. Viuius d. deciſ. 280. num. 13. Marc. Anton. Blancus loco præallegato.* Itaque iſta in ſæculari & Eccleſiaſtico foro reſpectiuè debent obtinere. Cum enim le- 2
ges

ges ciuiles & Canones discrepant in his quæ peccatum non concernunt, ius Canonicum in terris & iurisdictione Ecclesiæ, Ciuile verò in terris Imperij & sæculari iurisdictione est seruandum atque tenendum. *Cachera. decis. Pedemonta.* 152. *num.* 6. *Io. Schneydewinus in epitome in vsus feudorum, parte* 1. *num.* 8. est differens notanter iuris Pontificij & ciuilis decisio & singularis.

SINGVLARE LV.

Principium actus inspici debere, non quod exinde secutum est.

SVMMARIA.

Testis idoneus tempore suæ depositionis probat, quamnis posteà fiat inhabilis ad testimonium dicendum. num. 1.

Testis dictum cuius inhabilitas fuit occulta probat. num. 2.

Fallit. num. 3.

Sufficit negotium pupilli vel minoris semel vtiliter gestum esse, quamuis non habeat effectum permanentem. num. 4.

Non videtur minor circumscriptus, qui vsus est iure communi. num. 5.

Intentans remedium l. 2. *C. de rescind. vendit. debet probare se læsum vltra dimidium iusti precij tempore contractus. num.* 6.

Matrimo-

Matrimonium ratum & consummatum ob superuenientem impotentiam mariti non dissoluitur. nu. 7.

Papa non potest in tali matrimonio ex causa dispensare. Ibidem.

Statuto prohibente ne quis frumentum extrahat nisi ad suum vsum, si posteà quis mutet consilium & vendat, non incidit in pœnam. num. 8.

Statuto dicente, quod messario credetur vsque ad 7. solidos, si contra negantem ab eo relata pœna veniat duplicanda ex consuetudine Curiæ, an ei credetur? quod sic. num. 9.

Cum fideiussor ex conuentione partium datus ad inopiam deuenit, non est alius præstandus. num. 10.

Maritus quando adulterum possit occidere. num. 11.

Cum finis habet necessariam causam cum principio, principium inspicimus. num. 12.

REgulare est dictum Dd. Principium actus inspici debere. Hinc est, quod si testis tempore 1 depositionis fuerit ad testificandum habilis, & posteà incidat ex aliqua causa in inhabilitaem, valebit tamen & admittetur eius depositio, quia tempore quo illam emisit, habilis extitit. *Io. Crotus in tracta. de test. qui habetur inter tracta. diuersor. de test. parte 3. num. 23. arg. l. nec enim. 2. ff. de itin. actuq; priuato. Petr. de Moncada in addit. ibid. ad Crot. in literá H. Felin. in c. testimonium. col. 2. de test. Iose. Mascard. vol. 3. de probat. conclus. 1363. incip. testes idonei. num. 10.*

Item si tempore depositionis occulta fuit inhabilitas testis instrumentarij, ratione eius quod post- 2 modum illa fuit detecta, putà quia erat seruus, nihilominus eius dictum probabit *l. 1. C. de testam. l.*

Barba-

Barbarius. ff. de offic. Prætor. Mascard. d. volu. 3. conclus. 1365. incip. superioribus, num. 17. Petr. Peckius ad c. quæ contra ius fiunt, num. 13. circa medium de reg. iur. in 6. Alberic de Maletis in commentario de testibus, qui habetur in d. tracta. diuerso. de test. parte 1.
3 *cap. 5. nu. 5. fol. mihi* 258. Idem si demonstretur fuisse infamis, nisi sit infamia iuris: quia taliter infamis etiamsi sit occultus, non poterit esse testis in testamento, iuxta *Francis. Viuium opinio. 906. incip. infamis potest esse testis in testamento. num. 2. Alex. in l. Prætor. §. coguntur. ff. de eden. Bald. Ias. & Dd. in l. cunctos populos. C. de summa Trinitat. & fide Cathol.* & est plurimum notandum.

Item ratione huius dicti regularis traditur. Quod si minor adiuit hæreditatem pinguem & lucrosam, quamuis fortè posteà vineæ vel prædia alluuione vel casmate perierint, non restituitur. Idem si seruum cuius opera sibi erat necessaria emerit, isque perierit. *l. final. C. de in integr. restitut.* & idem venit dicendum, si tutor vel curator similia fecerint.
4 Quia sufficit semel negocium actum fuisse vtiliter, etiamsi permanentem non habuerit effectum *l. quid ergo. 3. §. sufficit tutori. ff. de contra. & vtil. actio. tute. l. sed an vltro. 11. §. 1. ff. de negoc. gest. l. quæ vtiliter. 47. ff. eod. tit. quod si seruus. 3. §. vnde recte. ff. de in rem vers. Steph. Gratia. decis. Florenti. 178. num. 6.*
5 *Capic. decis. 180. num. 5.* & non videtur circumscriptus esse minor, qui iure communi vsus fuerit. *d. l. fin. C. de in integ. restit. Io. Papon libr. 6. tit. 1. arr. 8. Ludouic. Charond. en ses responses du droict François, resp. 30. libr. 3.*
6 Hinc est quod si quis velit intentare remedium *l. 2. C. de rescind. venditio*, allegans se vltra dimidium iusti

iusti precij in contractu læsum esse, necesse est quod probet talem læsionem interuenisse tempore contractus à se celebrati, neque aliàs potest obtinere. *Arius Pinell. in tracta. ad d. l. 2. C. de rescind. vendit. parte 1. eiusdem legis, cap. 1. num. 8.*

Hinc fit quod si post matrimonium contractum & carnali copulâ consummatum, vir in aliquem defectum aut impotentiam incidat, ob quam debitum coniugale vxori reddere nequeat, matrimonium nihilominus firmum ac ratum manet, quia ab initio valuit & per copulam fuit cōsummatum. *Thomas Sanchez de sancto matrimon. sacramento lib. 7. disputat. 102. incip. quando matrimonium, in princ.* dicens neminem hoc in dubium reuocare posse, cum res certissima sit, matrimonium fidelium solâ morte naturali dissolui posse, quando consummatum est. *Idem ibid. lib. 2. disputat. 13. num. 2. & 11.* multùm aliquos reprehendens & dicens *d. num. 11.* pessimè scripsisse illos, qui voluêre Pontificem ex causa dispensare posse in matrimonio consummato, *post Couuar. 4. decretal. 2. parte, cap. 7. §. 14. num. 15. referens se ad Bellarmin. lib. 1. de matrimon. c. 15. & seq.* 7

Hinc porrò etiam fit, quod statuto sub pœna prohibente, quod nemo possit extrahere vel emere frumentum nisi pro vsu suo: si illud quis fecerit, demum verò mutato consilio, quia fortè videt sibi tanto opus non esse, in vsum suum non conuerterit, sed vendiderit, pœnâ statuto indictâ non erit afficiendus, quia à principio emit in causam vsus, nec consideratur quod postea superuenit; singulariter & eleganter dixere *Iose. Ludouici conclus. 15. num. 57. Roland. à valle cons. 71. num. 19. vol. 4.* 8

Item si statutum dicat, quod messario vsque ad 9

7. soli-

7. solidos credetur, si referat animal alicuius vsque ad septem solidos damnum dedisse, & Dominus animalis hoc negat, ac per obseruantiam Curiæ inficiator dupli pœnâ, veniat mulctandus, quæritur an messarij relatio sufficiet etiã quoad pœnæ augmentum? Responde quod sic, quia tempus petitionis attendi debet, licet posteà causa crescat per inficiationem. Ita præclarè *Chassana. ad consuetud. Burgund. Rubr.* 1. *§.* 6. *verb. iusques a sept solz, num.* 3. *& seq.*

10 Eodem modo si ex partium conuentione fideiussor datus, tempore fideiussionis locuples sit & idoneus, posteà verò ad inopiam redigatur, non potest creditor postulare, vt alius fideiussor & alia satisdatio sibi prestetur, cum in principio istius personam & qualitatem approbauerit, vti diximus suprà *singul.* 51. *in fine.*

11 Adde prædictis, quod licet de iure ciuili maritus adulterum cum vxore in flagranti crimine repertum occidere non potest, nisi sit vilis persona & in domo ipsius mariti, non in alia fuerit repertus *l. marito.*24.*ff. ad l. Iul. de adulter.* cuius verba sunt: *Marito quoque adulterum vxoris suæ occidere permittitur, sed non quemlibet vt patri; nam hac lege cauetur vt liceat viro deprehensum domi suæ, non etiam soceri in adulterio vxoris suæ occidere cum. text. l. Gracchus.* 4. *C. eod. tit. l. qui occidit.* 30 *ff. ad l. Aquil.* si talis adulter aufugiat & maritus eum vno impetu & incontinenti persequatur, poterit etiam alibi occidere

12 per traditionem iuridicam, quod cum finis habet necessariam causam cum principio, principium inspicimus. *l.* 23. *§. quod ait. ff. de adulter.* singulare dictum *Anton. Gomez. ad l. Tauri* 45. *num.* 48. de iure

iure ciuili procedens, vti præmissum est. Nam quid de Canonum iure & in interiori conscientiæ foro obtineat examinat *Thomas Sanchez, de sancto matrimon. sacrament. libr. 10. disputat. 8. num. 37. & seq.*

SINGVLARE LVI.

Quatenus minorem 25. annis oporteat res in pristinum statum reponere, vt effectum restitutionis in integrum cōsequatur aduersus factam permutationem.

SVMMARIA.

Restitutio ita facienda est vt vnusquisque integrum ius suum recipiat. num. 1.

Minor ætas rerum suarum administrationi non sufficit. num. 2.

Maior culpa est in committendo, quàm in omittendo. num. 3.

1 Minor aduersus permutationem à se factam in integrum restitutus, debet heritagium quod permutationis titulo accepit, reddere in eodem statu, quo fuit tempore co tractus; alioquin restitutionis sibi concessæ effectu non potietur. Quia restitutio ita facienda est, vt vnusquisque integrum ius suum recipiat *l. quod si minor. 25. §. restitutio. ff. de minor. 25. ann. l. si eum. 10. in princ. & l. seq.*

seq. ff. si quis cautio. in iudic. sistendi non obtemper. *Anton. Faber in C. suo Fabria. tit. ne filius pro patre. definit. 6. in notis.*

Quare si minor demolitus sit ædificia, vel aliquam partem rerum sibi in permutatione datarum vendidit, quam recuperare nequit, non gaudebit præfato beneficio & commodo restitutionis parte se opponente, *Io Papon libr. 16. tit. de mineurs. arr.* 14.

Eadem intellige, vt procedant in deterioratione rei permutatæ cum minore, si deterioratio heritagij facto minoris euenit, secus si eius negligentiâ & incuriâ. Est enim quod sibi & suæ temeritati imputet hoc casu posteriori, qui cõtractum iniit cum
2 minore: quia imbecillem & improuidam eius ætatem nosse debuerat ad rerum suarum regimen & administrationem non sufficere, iuxta §. *item maior. vers. qua constitutio, Instit. de excusat. tutor. vel*
3 *curato.* & maior etiam culpa dicitur esse in committendo, quàm in omittendo per nota. *Francis. Viuy decis. Regni Neapol.* 303. *num.* 1. & 3. & *decis.* 365. *in fine.* ita iudicatum refert *Ludouic. Charond. en ses responses du droict François, respons.* 64. *lib.* 3. & est distinctio obseruanda ac singularis.

SIN-

SINGVLARE LVII.

De alienatione rei fidei-commisso subiectæ.

SI hæres rem restitutioni subiectam ex fideicommisso, bonâ fide & ignoranti emptori vendiderit, valet ista alienatio neque per fideicommissarium poterit retractari, text. singularis in *l. fina. §. fin. ff. de leg. 2. additio ad glos. ordinariam in l. vlt. §. vlt. C. commun. de lega. ad verb. celebrata, dicens casum esse multum notandum. Io. Dilect. de arte testandi tit. 8. caute. 9. num. 1. 2. post Paul. de Castro in d. l. vlt. §. vlt. C. commun. de lega. & cons. 10. clarum est. Alex. cons. 3. viso processu lib. 3. Corn. cons. 238. videtur libr. 3. Idem notat Hieronym. Magon. decis. Florenti. 102. num. 12. Ludouic. Charond. en ses responses du droict François, lib. 5. respons. 51. incip. le testateur, circà medium.* Et hæres alienans illud quod ad se peruenit restituere tenetur fideicommissario, iuxta *Bartol. in d. l. final. §. fina. ff. de leg. 2. Charond. loco ante citato. Francisc. Viuius decis. Reg. Neapol. 262. num.* 25. dicit hoc casu fideicommissarium agere posse contra alienantem ad precium & ad omne etiam lucrum *per Dd.*

At verò si hæres fuerit malæ fidei, & sciebat onus fideicommissi per testatorem facti, tum fideicommissarius rei vendicationem poterit intentare *text. d. l. vlt. §. sui autem C. commun. de lega.* & tradit *Viuius d. decis. 262. num.* 25. in Regia Audientia Apuliæ talem alienationem nullam declaratam

fuisse, & laudatos authores condemnatos fuisse ad precium vnà cum interesse tertiis possessoribus refundendum. Præterea intellige istam positionem de plano procedere, cùm alienans est soluendo, vt per *Vincium d. decis.* 262. *num.* 25. *fac. Elbert. Leoni. consf.* 97. *num.* 4.

Item obserua, si testator velit hæredem etiam ignatum fideicommissi rem alienare non posse, alienationem cum causâ prohibeat expressè. Nam expressa prohibitio testatoris operatur, vt rei dominium in alium transferri non valeat. *l. filiusfamilias.* 117. *§. Diui, cum ibi traditis per Dd. ff. de lega.* 1. & concurrente legis ac testatoris prohibitione, etiam in casibus aliàs à iure permissis alienatio non procedit, vti dicemus infrà *singulari* 82. not. & singulariter firmat *Io. Dilectus ante designatâ cautel.* 9. *num.* 2. *vbi num.* 7. tradit, quid dicendum respectu legitimæ, factâ per filium huiusmodi rei alienatione.

SINGVLARE LVIII.

Quod fœtus animalis lactans idem cum genitrice censeatur.

IN locis in quibus violentiores feræ solent grassari & multum damni habitatoribus inferre, sæpè magistratus aliquod pecuniarium præmiũ statuunt
1 in caput cuiusq; feræ capiendæ. Quare si verbi gratiâ decretum fuerit, vt pro quolibet lupo, quem quis

quis comprehendere valebit ei decem persoluantur, quæstionis est an si lupum cum sobole adhuc lactante & ad vbera pendente comprehendit, pro quouis capite, an semel tantum decem sit consecuturus. Dixit signanter & singulariter *Bald. in l. final. num. 6. C. de libera. caus.* & post eum scriptum reliquit *Io. Schneidewin. ad institut. tit. de tutel. §. permissum. num.* 15. Quod talis apprehensor semel tantum decem, & nihil vlterius consequetur. Quia nimirum is fœtus qui ex lacte ita nutrimentum sumit, adhuc in vtero & pars viscerum matris esse videtur, *per text. l. sed addes. §. si quis mulierem. ff. locati.* Ad cuius dicti confirmationem facit traditio singularis *Hyppol. de Marsil. in l. 1. §. diuus Adrianus, num. 8. vers. & facit etiam ff. de quæstion. per varia allegata* scribentis, quod quemadmodum vaccâ venditâ, venit vitulus qui est in corpore vaccino; eodem modo veniet etiam vitulus tenellus, qui nondum herbis pascitur. Nota.

SINGVLARE LIX.

De meretrice condemnatum ad mortem in coniugem petente.

SVMMARIA.

Mulieres vt plurimum sunt malæ. num. 2.

Meretricem in vxorem ducere maior pœna quam mori. num. 1. 3.

Litigiosa mulier est instar tectorum perstillantium. num. 4.

Opus est charitatis & meritoriū meretricem in vxorem assumere, sed pauci volunt huiusmodi indulgentias promereri. num. 5.

OBseruantia ista, quod morte condemnatus ad supplicium ductus, si meretrix illum in maritum sibi dari postulet, debeat liberari & tali meretrici iungi coniugio, de consuetudine potius quàm de iure procedit; imò est contraria iuri & repugnat *l. commissum. 27. C. de adulter. l. ex causa. 10. §. Papinianus al. Pomponius ff. de minor. l. 1. §. final. de quæstio.* vti scribunt *Masuer. in practicâ sua forensi, tit. de pœn. num. 30. Io. Papon libr. 24. tit. 10. arr. 14. Francis. Vinius opinio. 127. num. 4. & 5.* & dicit *Chassan. ad consuet. Burgund. Rubr. 1. §. 5. verb. s'il*
1 *n'a grace, num. 99.* se nullam eius rei & consuetudinis rationem posse adferre, nisi quod per matrimonium maior reo videatur pœna imponi, quàm per mortem. Nam si iuxta poëtam antiquum (satis tamen in sua censura liberalem)

2 *Fœmina nulla bona est, vel si bona contigit vlli,*
Nescio quo fato res mala facta bona est;

3 Certè talis fœmina continuâ & quotidianâ procacitate, insolentiâ, & effronti audaciâ qua genus meretricum alias longè solet anteire, viuentem etiam maritum mille modis ac tormentis conficiet.
4 Litigiosa mulier sicut tecta iugiter perstillantia ait *Sapiens Prouerb. cap. 19.* & quidam cum inimico capitali filiam quam eximiè rixosam, molestam,

stam, immorigeram habebat, in vxorem dedisset; miranti vni è suis familiaribus & eius facti causam percunctanti: Quomodo, inquit, commodius & oportunius illatas mihi iniurias vlcisci potuissem, quàm hominem tali vxori alligando? Quare licet inter opera charitatis numeretur, meretricem in vxorem ducere *c. inter opera., de sponsal. Cachera. decis. Pedemonta.* 154. *num.* 4. peccata etiam illud facienti remittantur *d. c. inter opera.* pauci tamen reperiuntur procliues ad promerendum istam remissionem & indulgentias.

Occurrente verò præfato casu, in locis vbi non viget talis obseruantia, ista gratia vtique non esset facienda, eò quòd tenderet in graue præiudicium Reipublicæ, cùm viles ribaldi & infames quotidie delinquerent, spe consequendi impunitatem ex meretricum connubiis, præsentia tantum non etiam futura spectantes, vti not. *Antonius Gomez. resolut. tom.* 3. *capite* 13. *de torturà reor. num.* 37. *vers. Quintus casus est, vbi not. ita Andegaui consultum & executum fuisse*, & testatus fuit suo tempore in Francia sic obseruari *Andreas Tiraquell. tractat. de pœn. legum, causà* 56. loquens in puellâ pro condemnato intercedente. Saltem non nisi ex Principis voluntate & rescripto (si de consuetudine dubitetur) suspensa interim iudicati executione, remissio esset faciēda. *d. l.* 1. *§. final. de quæst. Ioan. Papon d. arr.* 14. quem ita exaudio.

In locis autem in quib. viget obseruantia & vsus præmemoratus, animaduertendum est, in quouis crimine certè illum non esse iustum, in aliquo

casu permissibilem, iuxta *Francisc. Viuium d. opin. 127. num. 4. 5.* tene menti has doctrinas, tibi hic ita singulariter enodatas.

SINGVLARE LX.

Bonam personæ conditionem & qualitates attendi.

SVMMARIA.

Domesticus testis admittitur ad testificandum si sit persona valde honesta. num. 1.

Item familiares Episcopi vel Abbatis. Ibid.

Item magni Domini famulus quando est probus. Ibid.

Nuntio iurato creditur in his quæ ad eius officium spectant. num. 2.

Fallit. Ibid.

Ob integritatem Prælati & administratoris, res in vtilitatem Ecclesiæ versa præsumitur. num. 3.

Bonus & diligens paterfamilias non censetur malè expendere. num. 4.

Qui soluit minori cum Curatoris authoritate, non tenetur probare id quod solutum fuit, in minoris commodum cessisse. num. 5.

Solennitas extrinseca à viro summæ probitatis ennunciata, præsumitur in actu interuenisse. num. 6. Fallit. num. 7.

Ordinatus ad Sacerdotium censetur solenniter esse ordinatus ob integritatem ordinantis. num. 6.

Libri

Libri mercatorum quando probēt & an etiam in magnis summis. nu. 8.

Iuramentum suppletorium etiam in causis magnis & arduis defertur, cum plus quam semiplenè est probatum. num. 9.

An hæres vir sanctimoniæ singularis, inuentario non confecto vltra vires hæreditarias teneatur. num. 10.

Persona religiosa & honesta causâ cadens, ab expensis non excusatur. num. 11.

Monachi bono & iusto zelo præsumuntur litem mouere. num. 12.

Omne malefactum prauè actum semper præsumitur. num. 13.

Qui aliquem occidit, non præsumitur fuisse aggressor, ob vitam antè honestè & pacificè exactam. num. 14.

Iniuriandi animum non censetur habuisse propinquus, qui actum alioquin iniuriosum fecit. num. 15.

Vxor dicitur socia diuinæ atque humanæ rei & pars corporis mariti. num. 16.

Maritus vxorem censetur animo corrigendi verberasse. num. 17.

Castigatio moderata permissa marito in uxorem, magistro in discipulum, Abbati in monachum. num. 18.

Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi. num. 19.

Pater filium carceri includens, non potest de carcere priuato accusari, & filium clericum verberãs, non incidit in excommunicationem. num. 20.

Clerici patriæ potestatis vinculo non sunt soluti. num. 21.

Artifi-

Artifici eximio & longe præ aliis excellenti, venia delicti conceditur. num. 38.

Doctores Theologiæ præcedunt Dd. iuris, & hi Doctores Medecinæ & artium. num. 39.

Qualibet scientia dicitur nobilior, quanto subiectum ipsius scientiæ est nobilius. num. 40.

Tanto quis melior est, quanto præest nobilioribus. num. 41.

Prædicatores debent præcedere fratres Minores ratione antiquioris institutionis. num. 42.

Monachi canonicis regularibus præferuntur. num. 43.

ANimus est hoc loco tradere, quatenus bona conditio & qualitas personæ etiam de iure veniat in consideratioñe & debeat attendi, quæ quidem pulchra quotidiana & practica est materia, super qua multa possent scriptis mandari, cum latissimè pateat huius materiæ campus; nos sequentia è plurimis in medium proferemus. 1

Primò igitur quamuis regulariter domestica testimonia tãquam suspecta reiici soleãt & reprobari, non habet locum ista doctrina, si testis domesticus sit persona valdè honesta, adeo quod ei nihil de fide diminuatur ratione domesticitatis. *Hippolyt. de Marsil. in l. 1. §. ad quæstioñe, nu. 4. al. nu. 7. ff. de quæst. Io. de Amicis cons. 120. nu. 118. & seq. cons. 47. nu. 7. Iose. Mascard. volu. 1. de probat. conclus. 26. incip. accusator. num. 5. Anton. Gabriel. lib. 1. commun. conclus. 10. tit. de testibus. num. 19.*

Similiter & familiares, id est, qui sunt de familia Episcopi vel Abbatis, quia præsumũtur esse laudabilis vitæ & conscientiæ, ad testimonium pro ipsorum dominis dicendum admittuntur, licet huiusmodi

modi testimonia aliàs non soleant admitti. *Mascard. vol. 2. de probat. conclus. 758. incip. familiares, num. 8.*

Item famulus personæ honestæ & magni Domini, rectè pro Domino poterit testificari, si ipse est probus, licet alioquin famulorum testimoniũ non recipiatur. *Angel. Aretin. in §. pater Instit. de testam. Io. Faber in §. testibus, eod. titulo. Nellus de S. Geminiano in suo tracta. de test. §. domestici. Aufrer. ad Capell. Tholosa. quæst. 4. vers. quod verum est.*

2 Secundò, quamuis nuncio iurato regulariter credatur, & eius dictis soleat fides adhiberi, in his quæ ad eius officium spectant, vt si dicat se reum citasse, &c. *c. cum parati, & ibi glos. in verb. suus nuncius, de appellat. l. Theopompus. 15. ff. de dote prælег. Præs. Euerard. cons. 177. num. 2.* tamen cum nuncius est illaudatus aliáve de causâ suspectus, citatus verò persona circumspecta & fide digna, qui iuratò assereret se citatum non fuisse, magis ei creditur & in hoc valet iudicis arbitrium. *Iac. Menoch. de arbitrar. iudic. libr. 2. centur. 2. casu. 112. num. 10. Mynsing. centur. 6. obseruat. 10. num. 7. Vinius opinio. 555. num. 5.* Nam hoc casu ad qualitatem nuncij & illius qui dicitur citatus respicere oportet, & negotij qualitatem ponderare. *Henric. Boguet. ad consuetud. comita. Burgund. tit. 10. de rescousse. §. vn. in verb. & sera ladicte rescousse, nũm. 6. & per dictas allegatio.*

3 Tertiò, inter coniecturas quibus probatur rem in Ecclesiæ vtilitatem versam esse, rectè proponitur & allegatur integritas & prudentia administratoris & Prælati, qui consueuit Ecclesiæ vtilia studiosè & diligenter peragere. *Iac. Menoch. libr. 3. præsumpt.*

præsumpt. 55. num. 6. Idem de arbitrar. iudic. libr. 2. casu 4 2. num. 36. Iose. Mascard. vol. 3. de probat. conclus. 1166. incip. constat. num. 82. quia præsumitur acceptum in commodum Ecclesiæ impendisse ad exemplum cordati & boni patrisfamilias, qui vtique suum iactare aut male expendere non censetur. *l. cum de indebito. 5 ff. de probat.* 4

Quartò, confine est huic, si quis adhibitâ Curatoris authoritate credat minori, hactenus id sanè ei prodest, vt non grauetur onere probãdi quod creditum in vtilitatem minoris cesserit. *Anton. Faber in C. suo Fabria. tit. si aduersus creditorem. definit. 2. cum ibi nota. vbi dicit Senatum Sabaudiæ ita censuisse.* 5

Quintò, si solennitas extrinseca à viro summæ fidei & probitatis fuerit enunciata, illa adhibita fuisse & interuenisse in actu præsumitur. *Iac. Menoch. libr. 2. præsumpt. 132. num. 36.* vbi monet intelligendum quando de modico præiudicio agitur, non itidem cum de magno. Item si quis ad sacerdotium fuerit ordinatus, prçsumitur canonicè & solenniter ad illud admissus, quia ordinans est vir magnæ & notabilis probitatis. *Menoch. loco allegato.* 6. 7

Sextò, libri mercatorum ex communi Dd. sententia, semiplenè probant tum saltem & eo casu, quo illos producens est homo integræ & incorruptæ existimationis ac famæ, & rationes propriâ ipsius manu sunt cõscriptæ, cum expressione causæ obligationis, continentque non credita tantum sed & debita scribentis. Tali casu producenti suppletorium iuramentum posset deferri. *Bartol. in l. admonendi, num. 26. ff. de iureiur. Ias. ibidem num. 127.* 8

127. *cum seq. vbi communem dicit. Bald. in l. 2. num. 12. C. de edend. Idem ad Rubr. C. de fide instrum. num. 33. Felin. in c. 2. num. 21. de fide instrum. Andr. Gail lib. 2. obs.* 20. *nu.* 2. imò verò dictis qualitatibus concurrentibus libri mercatorum in eorum foro plenè probarent, quia inter eos etiam semiplenæ probationes recipiuntur. *Gail d. loco. nu.* 5.

9 Anne tamen præmissa etiam obtineant, cùm de magnis summis disceptatur, vide *Iacob. Menoch. de arbitra. iudic. libro secundo, centur. 2. casu.* 101. *num.* 17. *Emanu. Soarez in thesaur. recepta. sententia. verb. Mercator. Thomam Triuisia. decis. causa. ciuil.* 16. *per tot. lib.* 1. *Nicola. de Passeribus plenè scribentem tracta. de scripturâ priuatâ, libr. 4. quæstio.* 1. *tit. de libris mercato. & seq.*

10 Septimò, licet inuentario non confecto hæres vltra vires hæreditarias teneatur, quia est præsumptio doli & fraudis & eum res hæreditarias subtraxisse, tamen hoc non procedet in viro miræ sanctitatis, eo quod contra eum cessat talis præsumptio, ita *Bartholoma. Socin. reg.* 214. *incip. Hæres inuentarium non conficiens, arg. nota. per Hostiens. in c. finem litibus, de dol. & contuma. & not. in c. 2. de noui oper. nunciat. & glos. in c. expedit* 12. *quæst.* 1. Contrarium tenet *Barbat. in c. Raynald. col.* 53. *de testam. Tiraquell. tracta. de pœnis, caus.* 51. *num.* 114. *quos refert Iac. Menoch. lib.* 6. *præsumpt.* 97. *num.* 15.

11 Octauò, regulariter succumbens in lite in expensas est condemnandus. Hoc sibi locum non vendicat in personâ religiosâ & honestâ, quia non est verisimile iniustè aliquid petituram, vti quidam censuerunt, *Io. Andrea in c. finem litibus, x. de dol. & contumac. & ibid. Dom. Anton. Petr. de Moncada in addi-*

in additio. ad tracta. Io. Croti de testibus parte 3. num. 152. in verb. integra vita. Alex. in l. properandum. §. fin. C. de iudic. Nihilominus affirmatiua est verior, quod imò debeat in expensas condemnari, quia si non apparet iusta causa ex quo succumbit, si non malitiosè, temere saltem egisse præsumitur. *ita dixit Socin. reg. 188. incip. expensarum condemnatio, vers. tertio fallit.*

Nonò, inprimis monachi semper iustè & bono zelo litem mouere præsumuntur, quia si bona reliquerunt propter Christũ, non debet cogitari quod appetant aliena. *Petr. de Moncada in d. additio. ad Io. Crot. tracta. de test. parte 3. in verb. integra vita. num. 153. glos. in c. 2. in verb. non fecissent, de noui oper. nunciat. glos. c. de præsentium, verb. defensor in fin. 16. quæst. 1. arg. text. in c. expedit 12. q. 1. c. Lugdunensis. 9. q. 2. Hippol. de Marsil. ad l. 1. §. quæstionẽ. nu. 21. ff. de quæst.* 12

Decimò, omne maleficium prauè actum præsumitur. *c. 1. de præsumptio. Præs. Euerard. cons. 113. num. 3. al. 4.* fallit ista theorica cùm ratione personæ alia præsumptio oritur. *c. causa. 15. quæst. 1.* Sic in dubio aggressor præsumitur qui aliquem occidit. At secus est, vbi constat de vitâ, honestis moribus & tranquillo statu superstitis; tunc enim non præsumitur aggressus fuisse. *Alex. cons. 14. col. 3. vers. ad defensionem, vol. 3. Mascard. vol. 1. de probat. conclus. 72. num. 4.* 13 14

Vndecimò, qui iniuriâ aliquem affecit, censetur hoc malignè & animo iniuriandi fecisse. *l. si non conuicy. 5. C. de iniur.* fallit hoc dictum ob vinculum cognationis vel affinitatis, quo iniurians est coniunctus iniuriato. *Bald. in addit. ad Speculat. tit. de præsumpt. § species. Iac. Menoch. lib. 5. præsumpt. 16. num. 5.* 15

Duodeci-

16 Duodecimò, ob bonum affectum & amorem qui inter coniuges esse solet, quia vxor dicitur socia diuinæ atque humanæ rei. *l. aduersus. 4. C. de crimin. expila. hæred. l. 1. ff. de ritu nuptiar. l. 1. §. qui ex duobus & l. final. §. item rescripserunt, ff. ad municipal. & de incol. Ludonic. Charond. en ses Memorables,*
17 *verb. Communauté in princ.* & esse pars corporis mariti. *c. admonere. 33. quæst. 2.* maritus vxorem verberans, corrigendi animo magis fecisse existima-
18 tur, quàm iniuriandi. Quippe moderata castigatio in vxorem ei est permissa, & eius imperio eiusque legibus est allegata ac subdita. *Iacob. Menoch. libr. 5. præsumpt. 15. num. 1. Idem de arbitra. iudic. lib. 2. casu. 364. num. 8. post Alciat. in tracta. de præsumptio. reg. 1. præsumpt. 3. in fi. Guido Papa tracta. de præsumpt. num. 27.* viri tamen cordati ac sapientes ab huiusmodi verberationibus abstinent.

Decimò tertiò, idem dic in magistro discipulum castigante, & in Abbate monachum corripiente, quia magister potest moderatè discipulũ suum castigare & Abbas monachum, imò Abbas & etiam magister illud facere tenentur. *Menoch. d. casu 364. num. 10. 11.* Nam vbi iacet disciplina, naufragium patitur religio, vt dicitur *clementi. 2. in princ. de stat. monacho.* & vbi non timetur reprehen-
19 sor, securus accedit tentator; quia facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi. *c. vt clericorum, de vitâ & honesta. clerico. Præs. Euerard. cons. 9. num. 3. al. 6.*

Decimò quartò, adde præmissis, quod simili ra-
20 tione pater filium in aliquo loco relegãs vel carceri filium includens, non potest de priuato carcere accusari. Præsumitur enim filium potius sub custo-

diâ

diâ quàm in carcere retinere & corrigendi causâ hoc ipsum facere, nisi euidens dolus malus adsit. *l. quod & lex Flauia. 7. § si eum quis. ff. de liber. homi. exhib. Iac. Menoch. lib. 5. præsumpt. 14. num. 4. Francisc. Viuius opin. 104. num. 16.*

Sic etiamsi filium clericum verberet, non incurret excommunicationem. Neque enim clerici patriæ potestatis vinculo sunt soluti, iuxta text. *c. si annum de iudic. in 6. Bellamer. decis. 731. num. 3. Francisc. Vivi. opin. 318. incip. filium. vbi plenè tractat Io. Papon lib. 7. tit. 1. arr. 24. Io. Imbert. in enchirid. iuris scripti Gallico, verb. fille mineure de 25. ans, non longè à fi. fol. mihi 98.* 21

22

Huc confert illud *D. Augustini ad Vincentium Donatistam scribentis*, Non omnis, *inquit*, qui parcit amicus est; nec omnis qui verberat inimicus. Qui phreneticum ligat & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat, ambos sanat. Ambo quamdiu ægri sunt indignantur, sed ambo sanati gratulantur. Imò *secundum eund. Augustin. ad Bonefacium*, Molestus est medicus furenti & phrenetico & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cędendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligant & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo, crudelitas est, refert *Francisc. Viuius d. opin. 104. num. 16.*

Decimò quintò, is qui minori furioso aut prodigo debet, tutor vel curator eius esse non potest, idem est, de eo cui minor debet. *Auth. minoris. C. qui dare tutor. poss. & Authent. vt qui obligatas se habere.* Diligenter enim prouidendum est, ne aliqua occasio detur, qua tutorum vel curatorum administratio pupillis adultísve sit damnosa, néve patrimonium 23

nium eorum aliquod damnum capiat, vti monstrat *Iodoc. Damhouder. in suo patrocin. pupillo. tit. de tutor. & curato. munere, cap. 6. nu. 4.* intellige hoc dictum, cùm debitum est magnum, non autem paruum. *arg. l. si quis in pignore. 36. §. sed et si quis. ff. de pignorat. actio. l. non tantum. 20. in princ. ff. de excusat. tut.* Item intellige, nisi testator talem tutorem dederit, quem creditorem vel debitorem esse nouerat, quia fidem & qualitatem eius hoc casu censetur approbasse & per testatorem pro qualificato habitus fuisse *arg. §. 1. Instit. de satisd. tutor. cum concordant.* secus si testator ignarus talem creditorem vel debitorem ad tu-
24 telæ munus vocauit, cùm non possit fidem eius videri approbasse, quem talem esse nesciebat. *arg. l. mater. 19. ff. de inoffic. testam.*

25 Decimò sextò, vni testi regulariter non creditur, etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat *l. iurisiurandi. 8. C. de test. c. veniens c. cum à nobis. x. eod. tit.* tamen si penes sacerdotem virum probum, bonæ famæ & fide dignum, literæ cambij fortè repertæ fuerint, in præiudicium hæredis ei credetur, si asseueret ab ægro sibi traditas fuisse, vt summā pecuniæ in iis expressam certo modo expenderet: maximè quando defunctus ipsi confiteri solebat, aut ante obitum ei fuerit confessus, firmat pulchrè *Petr. Peckius de testam. coniug. libr. 1. cap. 21. num. 3. Augusti. Bero. quæst. 12.*

26 Decimò septimò, pro iudice militat magna præsumptio, quod rectè iusteque suo officio fungatur & in omnibus nihil quam iustitiæ & æquitatis conseruationem ac defensionem ante oculos ponat. *l. cum precibus. 18. C. de probat. l. si quis pro publicis. 2. ibi, quod non arbitramur. C. de offic. ciuil. iudic. l. vlt. C. de*

C. de fideicommissar. libertat. l. 1. C. de susceptor. libr. 10. Quare cum probandum est iudicem corruptum fuisse, & per sordes sententiam tulisse, etsi casus sit difficilis probationis, eo quod huiusmodi delicta secretò admodum committantur, de eo tamen plenè & exactè probari debet: quod *Boss.* intelligit 27
cum proceditur criminaliter. Et obseruandum hoc etiam procedere & dici posse, cum pro personâ ac- 28
cusatâ magna est præsumptio, qualis pro iudice. *Iac. Menoch. de arbitrar. iudic. libr. 2. centur. 2. casu 116. in fi.*

Decimò octauò, clericus cuius officio incumbit Deum hominũ peccatis offensum orationibus placare, sacris rebus operam dare. *c. cui portio.* 12. *q.* 1.
cuius arma dicuntur esse preces & lachrymæ. *c. re-* 29
prehensibile c. conuenior 23. *q.* 8. *Præs. Euerard. cons.* 30. *num.* 14. *al.* 21. *Idem cons.* 42. *num.* 11. *al.* 18.
quem sæcularibus virtutum & inprimis castitatis 30
exemplo prælucere oportet *c. vt clericorum.* 13. *de vita & honesta. clerico.* magnam habet pro se & vitæ suæ probitate opinionem, per text *c. absit.* 11. *q.* 3. vnde secundùm *gloss.* quamuis videatur mulierẽ amplecti, est præsumendum quod non prauâ & malignâ intentione vel affectu turpi fecerit, sed benedicendi & ad pœnitentiam exhortandi causâ. *glos. in d. c. absit, verb. sinistrum.* 11. *q.* 3. Nam maximè Ecclesiasticorũ facta lex semper in benigniorem & meliorem partẽ interpretatur. *Petr. Peckius ad c. in pœnis, num.* 6. *vers. Amplia quinto, de reg. iur. in* 6.

Nihilominus nota, quod istam *gloss.* reprehendit *Iac. Menoch. libr.* 5. *præsumpt.* 41. *num.* 20. dicens illam male sensisse, nisi declaretur procedere concurrentib. aliis coniecturis. Ibidẽ tradit, si clericus & re-

ligiosus in domo pulchræ mulieris in loco abdito & secreto fuere inuenti mulierem amplexantes, quod adulterium & fornicatio ab iis præsumetur cõmissa. *arg. c. clerici c. clerici continentes c. ministri.* 81. *distinct.* quibus cauetur, quod clerici mulieres alloqui non debeant, cùm ex eâ allocutione mala suspicio oriatur. Eiusdem glossæ meminit *Præs. Euerard. in loco legali a communiter accidentibus. num.* 8. Ibidem monens simpliciter non esse intelligendam, ac considerandas esse circumstantias loci & temporis &
32 qualitates personarum. Et reuerà quamuis clerus sit populus Dei, electus in sortem beatitudinis. *c. cum secundùm Apostolum, de præbend. c. cleros.* 21. *distinct. Præs. Euerard. cons.* 30. *num.* 15. *al.* 21. tamen non est ita perfectus in totum, vt non subinde aliquis defectus in illo reperiatur *c. vt clericorum, de vita & honesta. clerico. c. quia in tantum, de præbend. & dignitat. c. quorundam, de elect. in* 6. quemadmodum vix malum aliquod punicum videas, in quo non aliquod granum subputridum sit reperire, nullum aurum cui non aliquæ sordes adhærescant, interque nitentia culta, iuxta Poëtam,

Infœlix lolium & steriles nascuntur auenæ.

33 Decimò nonò, ex dignitate vel vilitate personæ cui iniuria illata est, vel grauior vel minor pœna venit imponenda. Ita grauius plectendus est ille qui officialem, virum primarium, clericum offendit; quam qui priuatum, popularem, laicum, lixam aut calonem iniuriâ affecit. *§. Atrox iniuria. Instit. de iniur. & ibi Dd.*
43 Vigesimò, publicatis testium depositionibus, nec testes

testes examinati nec alij testes super iisdē articulis vel directò contrariis vlterius possunt produci. Hoc non obtinet, si testes examinādi aliàs sint bonę opinionis & sanctę vitę, adeò vt non sit verisimile quod subornari se patientur, tenet & firmat *Anto. Gabriel. cōmun. conclus. lib. 1. tit. de test. conclus. 21. nu. 5. & seq. licet in contrariam sententiam citet Bald. in c. iurauit, col. 2. de probat. Iasō. in l. iubemus, C. de iudic. col. penult. vers. ego autem pro veritate. Hispa. in cap. per vestras, fol. 80. col. 4. de donat. inter vir. & vxorem.*

Vigesimò primò, pro nobili magna est præsumptio, & inter cætera quod fidem datam omninò seruabit. Quare si promiserit non aufugere & Prætor eum vinculis liberauit, prætoriumque loco carceris dedit, si posteà fugam atripiat, Prætor excusatur qui ei credidit. *Iacob. Menoch. lib. 6. præsumt. 95. num. 3. Tiraquell. de pœn. leg. caus. 51. num. 36. Idem tracta. de nobilita. c. 20. num. 28.* 35

Eodem modo si is cui castrum custodiendum Princeps commisit, alteri nobili eius custodiam delegauit, qui illud inimicis dolo vel culpâ prodidit, erit excusandus talis delegans, qui eum fidelem futurum existimauit. *arg. l. vlt. in princ. ff. de custod. reor. l. vlt. §. hac actione. ff. naut. caupo. stabular. l. penult. C. d. tit. de custod. reor. Andr. Tiraquel. dicto cap. 20. num. 27.* Ego verò, subiicit, illum magis excusarem, si nobili potius quam ignobili eam prouinciam demandasset, nec tamen eum omninò culpâ vacare arbitrarer, nisi homini notæ fidei & probitatis & experientię tantam prouinciam tamque periculosam credidisset. Neque enim statim cuilibet nobili in tantâ re fidendum est, & credulitas quoque in vitio ponitur.

36 Vigesimò secundò, etiamsi contra hominem bonæ famę vnum indicium sufficiens ad torturam extaret, ratione tamen illius bonæ famæ tale indicium in totum extinguitur, adeò vt torturæ subiici non possit. *apostilla. ad Iul. Clar. §. final. practica criminal. quæst. 64. ad verb. aliqui dicunt quod sic. Io. de Arnono caute. 59.*

37 Adde quod ob respectum personarum, in casibus in quibus aliàs torturæ & quæstioni est locus, multi ratione suæ qualitatis torqueri non possunt, de quibus *Iul. Clarus d. §. final. & quæst. 46. Masuer. in sua pract. forens. tit. 37. de quæstio. Anton. Gomez. resolut. tom. 3. cap. 13. & passim Criminalista.*

38 Vigesimò tertiò, quamuis publicè intersit ne delicta remaneant impunita. *l. præses prouinciæ. 3. l. congruit. 13. ff. de offic. Præs.* tamen ob excellens & singulare artificium, quo alios superant qui deliquerunt, parcitur & criminis venia iis conceditur. *l. ad bestias. 31. ff. de pœnis. plenè tractat Iul. Clar. §. final. pract. criminal. q. 60. num. 26.*

39 Vigesimò quartò, in actibus publicis attenditur qualitas personæ. Sic Dd. Theologiæ debent præcedere Doctores iuris, & Doctores legum debent præcedere Dd. Medicinæ, & artiũ. *Io. Schneydewin. in Epitome in vsus feudor. parte 3. num. 5. dicens hoc notari per Canonist. in c. clerici, de iudic. atque ibi quidem post Francisc. & Io. Andrea Panormita.* tradit, quod Doctores Decretorum etsi sint laici debent præcedere doctores Legum, & hoc, inquit, probo

40 sic. Quælibet scientia dicitur nobilior, quanto subiectum ipsius scientiæ est nobilius, *arg. hic & Authent. quomodo. oporte. Episc.* sicuti in simili dicimus,

41 quod tanto quis melior est, quantò nobilioribus

præest,

præest, *vt in Auth. de defensor. ciuitat.* sed subiectum Canonicæ scientiæ est nobilius, quàm subiectum ciuilis scientiæ; quia subiectum in ciuili scientiâ est homo dirigibilis simpliciter in bonum commune, sed subiectum in Canonicâ scientiâ, est homo dirigibilis non solum simpliciter in bonum commune, sed etiam in Deum, secundùm sacras regulas. Sed Doctores legum debent præcedere Doctores artium & Medecinæ, quia eorum scientia est nobilior ratione subiecti, & maximè in medicinâ cuius subiectum est homo ægrotus. Theologia verò, habet subiectum nobilius cæteris, quia principalis sermo est de Deo, quod patet ex etymologiâ vocabuli. *Idem not. in c. cæterum, num. 6. x. de iuram. calum.*

Item Prędicatores debent præcedere Fratres Minores, quia antiquior est eorum institutio. *Guido Papa quæst.* 502. *incip. vbi quis, in fin. glos. c. quorundam, in ver. prædicatorum, de elect. in 6. Io. Andrea in c. Ioannes, de testam. Felin. ad Rubr. Decretal. de maior. & obedient. num.* 5. 42

Item Monachi Canonicis regularibus præferuntur, *de quo Felin. d. loco. num. 6. & seq.* 43

Ex præmissis notabiliter dictis, singularis est positio quarta, quinta, & enunciatum ad finem sextæ positionis, itemque positio decima sexta, decima septima, vigesima, & vigesima prima,

SINGVLARE LXI.

Vilitatem, exilem, & malam conditionem personæ spectari.

SVMMARIA.

Iuramentum in probationis supplementum deferri non debet sine personæ iuraturæ delectu. num. 1.

Non defertur rustico, Iudæo, infideli, spurio, defectu aliquo laboranti. num. 2.

Quæ in animo consistunt iuramento probantur. num. 3.

Fallit in homine leui. Ibid.

Si ex statuto denunciatori vel mercatorum libris credatur, non procedet si sint infames. num. 4.

Publicè interest probationes non coangustari, sed ampliari. num. 5.

Pauperis testimonium suspectum. num. 6.

Pauperes ditiorum promissis & donis facile corrumpuntur. num. 7.

Officialis bouem vel asinum priuati recte assumit, ad vehendum condemnatum ad locum supplicij, mercede data. num. 8.

Officialis potest vilem personam compellere, vt malefactorem exequatur. Ibid.

Mater meretrix filiam meretricem non potest exhæredare, aliud in patre voluptatibus addicto. nu. 9.

Mulieres magis decet castas esse quam mares. num. 10.

Ingenua

sa cibaria pauperibus in conuiuio prabet. num. 23.
Humiles persona acrius puniuntur quam honesta. num. 24.

QVemadmodum præstantiæ & legalitatis (vti nostri vocant) personarum de iure ratio habetur, ita quoque earum vilitas, tenuis & mala condicio, attendi & contra eas solet operari, prout latius sequentibus exemplis demonstrabitur.

1 Et quidem primò, licet multis casibus post semiplenam probationem suppletorium iuramẽtum deferatur, tamen hoc non passim & sine delectu debet deferri. Nam solers & prudens iudex inprimis qualitatem eorum qui sunt iuraturi inspiciet, ne commodi alicuius fallaci & miserâ spe decepti periurij reatum incurrant, & nihilo secus eâ ratione pars aduersa suo iure & suis bonis fraudetur,

2 Quare huiusmodi iuramentum rustico non erit deferendum. *Socin. sen. cons.* 136. *col. penult. lib.* 1. *Iac. Menoch. lib.* 2. *cent.* 2. *casu* 109. *nu.* 16. Item neque Iudæo, nisi plus quam semiplenè probasset, vel inter ipsos Iudæos causa agitaretur. *Socin. reg.* 252. *incip. iuramentum. Menoch. d. loco. num.* 15. Neque infideli. *Bald. in l. qui accusare C. de edend. Sebastia. Medic. reg.* 1. *qui refertur tractatu Regular. iuris Ciuil. & Pontific. libro* 9. *verb. Iudæus.* neque spurio, *Petr. de Moncada in tractat. Io. Croti de test. parte* 4. *num.* 164. *in verb. aliquem defectum. Io. Petrus Surdus decis. Mantua.* 326. *num.* 95.

3 Secundò, quamuis ignorantia, scientia, & ea quæ in animo consistunt, regulariter mediante iuramento probentur, hoc tamen fallit & non procedit in homine leui & qui malè audit. *Ias.* §. *sed*

ista.

ista, Instit. de actio. num.96. Mascard. vol. 1. de probat. conclus. 94. incip. Animus cum directo, num. 28. Sic etiam, si dictet statutum fidem adhiberi denunciatori vel damnum passo cum iuramento, non stabitur si vel solâ facti infamiâ laborent. *Mascard. ibi suprà num. 29.* 4

Item licet aliàs iuxta ea *quæ præcedenti Singular. num.*8. diximus mercatorum libri probent, illud non obtinebit in mercatore qui est infamis. *Mascard. d. loco ex doctrina Archidiac. in c. quia præsulatus. num. 4. 1. quæst. Felin. in c. significasti, num. 2. de homicid.*

Tertiò, quamuis publicè intersit probationes non coangustari sed ampliari, ne earum defectu rerum gestarum veritas in occulto maneat. *l. quoniam. 11. in fi. C. de hæret. & Manichæ. l. generaliter. 12. C. de reb. cred. & iureiur. in princ. Cachera. decis. Pedemont. 22. num. 2. Stephan. Gratia. decis. Rotæ prouinciæ Marchiæ. 116. num. 5.* tamen pauperis in causa producti testimonium suspectũ habetur & reprobatur. Nam homines inopes & egentes facilè blanditiis ac muneribus ditiorum solent corrumpi, & exiguum commodum veritatis professioni anteponere, iuxta illud poëtæ Lyrici, 5 6 7

Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quiduis & facere & pati,
Virtutisque viam deserit arduæ.

De quo plenè scribit *Iac. Menoch. de arbitrar. iudic. lib. 2. centur. 1. casu 96. per totum.*

Quartò, quemadmodũ officialis priuati bouem vel asinum datâ mercede potest capere, vt malefa-

ctorem

ctorem ad locum supplicij vehat. *Bart. in l. iubemus nullam, C. de sacros. Eccles. Bald. in l. fina. §. fina. ff. de pignoratit. actio. Alex. cons. 190. col. 3. vol. 2. Anton. Gabriel. libr. 3. commun. conclus. 2. tit. de iure quasi. non tollend. num.* 7. ita quoque vilem personam potest compellere, vt officium iustitiæ in personâ malefactoris exequatur. *Bartol. d. §. final. ff. de pignor. actio. Gabriel. d. loco. num.* 10.

9 Quintò, etsi filia quæ libidini ac turpitudini se dedit meretriciam vitam agendo possit exhæredari iuxta terminos & dispositionē. *§. causas, Authent. vt cum appellatio, &c.* tamē id non passim permissum est, neque licebit matri iisdem moribus & vitiis laboranti. *l. in arenam* 11. *C. de inoffic. testam. Bartol. Bald. & communiter Dd. in d. l. in arenam. Francis. Vi-*

10 *uius opinio.* 308. *incip. filia quæ peccauit. num.* 3. secus est in patre meretricario, eo quod mulieres magis castas esse decet quam mares, & vita luxuriosa tum respectu infamiæ tum damnorū quæ inde sequuntur, non adeò in viris, ac in fœminis sit plectenda. *Andr. Tiraquel. l. connub.* 1. *num.* 43. *Francisc. Viuius d. loco num.* 2. *vtrumque notat Didac. Couuar. ad c. Raynutius x. de testam. cap.* 16. *vbi agit de exhæredatio. vel præteritione liberorum in testamento, num.* 22.

11 Sextò, de iure Ciuili antiquo cum ingenuâ honestę vitę lociq; cōmercium haberi non poterat, neq; pro concubinâ illa retineri sine crimine stupri. *l.* 3. *ff. de concubi. l. ni libera* 24. *ff. de ritu nuptiar. glos. in l.* 1. *verb. stuprum, d. tit. de concubi.* aliud dicendum erat, si obscuro loco nata esset, vel pudorem vulgauisset, *per dicta iura Wesenbec. in paratitl. ad d. tit. ff. de concubin. num.* 3. Hodie quamuis disputent Dd. an de iure ciuili permissus sit concubinatus an secus;

secus; Canonum certè decretis constat, omnem coitum præter matrimonialem prohibitum esse. *Iul. Clarus §. Fornicatio. num. 6. & seqq.*

Septimò allego, iura omnem violentiam & furta summoperè detestari & acriter punire, tamen si quis aleæ ludendæ domum præbeat & verberetur vel furtum ei fiat, pœnalē actionem non habet, idq; 12
ob odium & improbitatem eius, qui tales lusores contra legum authoritatem peccantes, in domo fouet *l. 1. ff. de alea lusu & aleator.*

Octauò, quilibet præsumitur esse bonus, ac neminem re suâ per dolum vel iniuriam velle priuare; nihilominus si apud personam malæ famę & condi- 13
tionis res furtiua inueniatur, & non doceat à quo illam habuerit, furto cēsebitur subtraxisse, ex cōmuni Dd. opinio. ita *Augusti. ad Angel. de maleficiis verb. & vestem calestem, post nu.* 19. adeò vt hæc præsumptio efficax sit ad torturam ei inferendam, quamuis non sufficiat ad condemnationem. *Iul. Clar. in recept. sentent. §. Furtum, num.* 5. secus est, si præmemorata persona esset bonæ vocis. Tunc enim præsumptio antedicta contra eum indicium non faceret ad torturam, dato etiam quod authorem suum non nominaret. *Idem Clarus §. final. pract. crimina. quæst. 21. in fine.*

Nonò, mandatum superioris, vt quis alium oc- 14
cidat cum comminatione ni faciat mandatarium è medio tollendi, si mādans minas suas exequi consueuit, mandatarium excusabit saltem ab ordinariâ homicidij pœnâ, *Bald. in l. 1. quest. 2. C. unde vi. Frācisc. Viuius decis. Regni Neapol. 394. incip. Iacobus. num.* 13. vbi casus est in terminis, & talis mandatarius mortem naturalem euasit, sed ad triremes

regias

regias vitâ durante fuit condemnatus. Imò si mortem aliàs euadere mandatarius non potuisset, nullà pœnâ respectu prætacti homicidij erit afficiendus. *l. is damnum dat. §. eius verò & ibi Dec. num.* 1. *ff. de reg. iur. Francisc. Viuius opin.* 127. *incip. condemnatus ad mortem. num.* 13. *Alex. in l. liber homo. ff. ad l. Aquil. Cynus in l. scientia. §. qui cum aliter. ff. ad l. Aquil. Felin. in c. significasti, circa fin. de homicid.*

15 Decimò, statuto dictante quod raptor mulieris morte sit puniendus, non verificabitur in eo statutum, qui mulierem non coniugatam & parum pudicè viuentem rapuit. Ex anteacta si quidem vita, non vi rapta, sed sponte suâ præsumitur fuisse abducta. *Andr. Gail lib.* 2. *obs.* 48. *num.* 34.

16 Eodem spectat, quod licet de iure raptor liber homo capite plectitur, seruus autem flammis comburitur. *l. vn. C. de rapt. virgin.* si tamen mulierem dissolutæ vitæ & meretricantem quis rapiat, ex magis receptâ & verâ opinione Doctorum, raptor extraordinariâ pœnâ arbitrio iudicis afficitur, sic *Iac. Menoch. libr.* 2. *casu* 219. *de arbitrar. iudic. sequendo & referendo Bald. in l. penult. ff. de rer. diuis. Marsil. ad d. l. vn. num.* 26. *de raptu virg. & alios.*

Amplia, vt tale arbitrium possit etiam extendi ad mortem delinquentis, cum esset atrox iniuria, puta si ipse concubitus sit contra naturam vel aliquid turpe agatur. *Menoch. d. loco, numero* 6.

17 Vndecimò, Nuncio referenti se à citato verberatum vel pulsatum esse non creditur, vt aliqui censent relati à *Iac. Menoch. lib.* 2. *de arbitrar. iudic.*

centu-

centuria 2. *casu* 112. *num.* 13. *Andr. Tiraquell. de retract. consang.* §. 8. *glos.* 9. *num.* 24. *Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de testibus, definit.* 26. vbi ita dicit in Senatu Sabaudiæ decisum fuisse. Tamen oportet vt iudex etiam atque etiam inspiciat citati & Nuncij personas, & quid inde sit verisimile. *Menoch. ibi suprà. Alciat. tracta. præsumptio. reg.* 3. *præsumpt.* 14. & concurrentibus pro dicto nuncij aliquibus coniecturis, iudex pro suo arbitrio ei potest fidem adhibere, etiam pro indicio ad torturam. *Iose Mascard. vol.* 2. *de probat. conclus.* 1119. *num.* 7. *Henricus Boguet. ad consuetud. comita. Burgund. tit.* 10. *de rescousse, in verb. & sera ladite rescousse prouuée par deux tesmoings, num.* 4.

Duodecimò, maior est præsumptio pro sententiâ iudicis maioris, quàm minoris. *l.* 1. *ff. de offic. præf. prætor. Bald. in l. tutores. ff. de confirm. tut. Ias. in l. pacta nouissima*, 3. *notab. C. de pact. Iac. Menoch. libr.* 2. *de arbitra. iudic. centur.* 1. *casu* 4. *num.* 6. at pro sententiâ iudicis idiotæ nulla est præsumptio. *Ibid. num.* 7. 18

Item licet decretum iudicis præsumatur interpositum ex iustis causis *l. si quis pro publicis.* 2. *C. de offic. ciuil. iudic. l. ab ea parte.* 5. *ff. de probat. Bald. in l. errore, C. de testam. & ponit pro reg. Petr. Duen. reg.* 189. *incip. Decretum.* hoc fallit in iudice idiotâ. Quia verisimile non est, quòd ille iudex adhibuerit legitimam causæ cognitionem; vel fecerit seruari solennitates iuris, quas ignorat. *Areti. cons.* 69. *num.* 2. *Alciat. in tracta. de præsumptio. reg.* 10. *num.* 10. *tradit Duen. d. loco. vers. limita tertio.* 19

Decimò tertiò, etsi testi nobili in causa à litigatore 20

tore producto vel producendo, vel alteri honestæ personæ quæ iter pedes conficere non solet, solui debeat vectura equorum vel sumptus vehiculi. *arg. l. idemq̃. 10. §. idem Labeo. ff. manda. l. si fratres. 53. §. si quis ex sociis. ff. pro socio. Surdus tracta. de aliment. tit. 4. quæst. 21. nu. 7.* non tamen soluet rustico, quia non conuenit eius conditioni equitare, sed pedes debet incedere. *Surd. d. loco, num. 9. Andr. Tiraquell. tracta. de nobilitate, cap. 20. num. 75. Andr. Gail libr. 1. obs. 99. num. 4. Io. Crot. tracta. de test. parte 9. num. 61.*

21 Decimò quartò, in casibus ex quibus competit priuilegium, quod quis non possit conueniri vltrà quam facere possit deducto ne egeat, puta si sit maritus, miles, &c. iuxta *l. patronus.* 17. *& l. miles. 6. ff. de re iudic.* in ista deductione, vt aliqui volunt, consideratio habenda est personæ, ita vt nobilis vberiora alimenta consequatur, & ne pauperum cibis cogatur esse contentus. *arg. sed etsi quis inædificauerit. 19. §. sufficienter. ff. de vsufr. l. cum vnus. 10. §. alimentis. ff. de aliment. & cibar. lega. c. non cogantur. 41. distinct. Tiraquell. d. tractat. de nobilita. cap. 20. num. 136.* à quibus aliqui dissentiunt relati ibidem *num.* 138. Certè minus rustico relinquendum est,
22 quem sufficit vesci grosso pane, caseo, cœpis, fabis; non item pane albo, pullis & aliis delicatis
23 cibariis, *Tiraquell. ibi. sup. num.* 136. Imò venialiter peccat, qui pauperibus nimium deliciosa & sumptuosa cibaria apponit, *vt per eundem num.* 140. *d. loco c. vnum orarium, circa fin. 25. distinct. iuxta antiquas impressiones & lecturas.*

24 Decimò quintò, humiles & abiectæ personæ acrius puniuntur quam honestæ. Ita l. Iulia stupratori-

toribus si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum; si humiles corporis coërtionem cum relegatione indixit. *§. item lex Iulia de adulter. vers. pœnam autem. Instit. de publ. indic.* Item homo liberæ conditionis raptum committens, capitali quidem supplicio feritur, seruus autem comburitur: vti noto hic suprà *vers. incip. Eodem spectat.* Item si seruus cum domina commercium habuerit, hæc quidem etiam vitâ priuatur, sed ille flammis traditur. *l. vn. C. de mulier. quæ se propriis ser. iunxer.*

Ex iis quæ multum notanter tradidi, inprimis pro singularibus designo positionem primam, quartam, quintam, nonam, decimam atque duodecimam.

SINGVLARE LXII.

Cautio in transactione adhibenda.

IS qui cum alio transigit & rem aliquam aduersario dimittit, cautè & prouidè agere debet. Itaque in instrumento transactionis inseri curabit, quod parti dimittat vel relaxet talem rem vel fundum; non autem quod det vel tradat. His enim casibus postmodum fortè secutâ euictione de ea teneretur, non item superioribus. *l. si pro fundo. 33. & ibi Dd. ac pulchrè Salicet. num. 6. C. de transact.* tradit singulariter *Francis. Viuius opin. 1003. num. 5. incip. transactio est contractus.*

SIN-

SINGVLARE LXIII.

Secundæ nuptiæ.

SVMMARIA.

Mors memoranda Porciæ Catonis filiæ. num. 2.
Mulieres magis amant coniugia, quam coniuges. num. 3.
Exemplum notabile remissiue. num. 4.
Mulier post mortem viri ab eius lege soluta est. num. 5.
De viro qui 10. vxores, & muliere quæ 21. maritos habuit. num. 6.
Anima defuncti, vidua renubente, dicitur contristari. num. 7.
Quatenus vitâ functis viuentium actiones innotescant, remissiuè. num. 8.
Mulier binuba ob secundum maritum filium excoriaret. num. 9.
Secundæ nuptiæ non benedicuntur. num. 10.
Bona viduam in vxorem ducentis sunt obligata pro administratione & tutela liberorum ab eadem habita & gesta, si antè rationem non reddidit. num. 11.
Idem in bonis eius, qui matrem pupillorum in concubinam assumpsit. num. 12.
Si testator dixit, quod bona aliqua dotandis mulieribus applicabuntur, non comprehenduntur viduæ. num. 13.

Legatum

Legatum viduæ factum intelligitur de prima eius viduitate. num. 14.

LAudandæ sunt istæ mulieres, quæ cum semel connubialibus tædis se submiserint, memoriam defuncti viri piè conseruantes, vlteriorum nuptiarum cogitationem deponunt, ac Romanæ Porciæ sententiam præ oculis & in animo gerunt, quæ felicem & pudicam mulierem dicebat non nubere, nisi semel. Hæc fuit illa Porcia, digna proles quæ Catonem patrem nominaret, quæ vim sibi inferre & è viuis excedere maluit, quàm defuncto marito superesse; cuius obitum in Epigrammatibus suis in hunc modum describit Martialis, 1 2

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti
Et subducta sibi quæreret arma dolor,
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari:
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Ecce mirandum ac stupendum posteritati amoris ac fidei coniugalis exemplum, in ethnicâ illâ superstitionum nube. Muliebre pectus, plus quam virili animositate & robore instructum. Celebrandum denique æternâ memoriâ facinus, sed non imitandum Christianis. Mollius agitur hodiernis moribus, cùm viduæ defuncto coniuge sæpenumerò eius amorem, vnà cum cadauere & ossibus terræ mandatis sepeliunt, & vix imò nondum exacto luctus anno, ad noua connubia aspirant atque

3 adeò alienis amplexibus indulgent. Nimirum quia muliebres animi plus coniugia amant, quàm coniuges, vti dixit *Ludouic. Charond. en ses Responses du droict François, lib. 3. respons.* 74. & est memorabi-
4 le ac insigne exemplum apud *Andr. Tiraquell. tracta. de ll. connubial. l. 9. num. 97.*

Dederunt etiam hoc humanæ fragilitati Canonicæ sanctiones & ipsa quoque sacra scriptura, vt & secundæ & tertiæ & vlteriores nuptiæ iniri possint,
5 quia ex sententiâ *D. Pauli* 1. *Corinth.* 7. Mulier est alligata legi, quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, liberata est. Cui vult nubat, tantum in Domino. *text. c. aperiant obtrectatores, cum duobus seq.* 31. *q.* 1. *text. c. penult. & vlt. de secund. nupt. Octauia. Cachera. decis. Pedemonta.* 77. *num.* 12. refert-
6 que D. Hieronymus *in epistola ad Geruntiam*, Damasi temporibus Romæ par coniugum fuisse, quorum alter viginti vxores sepelierat, altera maritos viginti & vnũ. Quamuis tamẽ, tam de iure ciuili quã Canonico pluralitas nuptiarum sit permissa, non sunt tamen secundæ & vlteriores nuptiæ tam fauorabi-
7 les. quàm primæ. Dicitur enim mulier secundò nubens liberis iniuriam inferre, & per hoc animam defuncti contristari, inquiunt Legistæ. *Francisc. Viuius opinio.* 852. *num.* 3. *Authent. de nuptiis.* §. *si autem tutelam. glos. & Dd. in l.* 1. *C. de secund. nupt. bald. in Auth. cui relictũ C. de indict. viduit. tollẽd. Alex. cons.* 31. *nu.* 15. *in fin. vol.* 7. *Roland. à Valle cons.* 69. *nu.* 24. *vol.* 1. super quo posteriori dicto scribit *Viuius d. loco* & itidem super eo, quatenus vitâ defuncti noscãt viuentium
8 actiones. Imò præsumit lex contra viduam secundò nubẽtem, quod bona & vitam filiorum secundo marito velit addicere. *l. lex quæ tutores.* 22. §. *lex enim*

C. de

C.de administrat.tutor. Imò,quod propter secundum 9
virum, filium excoriaret. *Matthæ.de Afflict.decis.Neapol.357.num.2. per d. l. lex quæ & Authent. ad hæc C. quand. mulier tute. offic. fungi potest. Antoni. Tessaur. decis.Pedemonta. 170.nu.5.vers.quarto facit.* & de iure 10
Canonum,vir vel mulier ad alterum matrimonium conuolans, à presbytero non benedicitur. *c. 1.& 3. de secund. nupt.* quia cùm prima vice sint benedicti, benedictio iterari non debet. *d.c.3.* de consuetudine tamen, passim etiam benedictio datur, cùm viduus virginem ducit in vxorem.

Porrò omninò oportet vt caueat sibi, qui cum viduâ matrimoniũ contrahere intendit, liberos ex priore matrimonio habente, si administrationis ac tutelæ sibi creditæ rationem non reddidit, ne incidat in labyrinthum processuum & bonorũ suorum exitium. Nosse enim debet ac præuidere, quod ratione dictę administrationis & tutelę bona sua erũt obligata, iuxta text. *§ si autem tutelã. Authent.de nupt.* 11
l.si mater.6.C.in quib.caus. pign. vel hypoth. contrah. notatur lib.5.regular.iur.Ciuil. & Pontific.verb. executio, fol.508.col.1.vbi malè pro hoc citatur Petr.Duen.reg.75. debebat enim citari reg.275. incip.executio cõtra omnes, in fin. Andr.Gail lib.2.obs.90.nu.2. huius periculi seriò monens nuptias viduæ tutricis ambientem, etiam ad hoc Baldi authoritate adductâ *in l.penult.C.quib. ex caus.&c.notat Philip. Dec.cons.591.col.1.Anto.Ga-* 12
briel.lib.3.cõmu.conclus.9.nu.4.tit.de secund.nupt. Imò respectu dictæ administrationis & tutelæ etiam bona illius, qui matrem pupillorum pro cõcubinâ retinuit, sunt affecta, singulariter dixit *Anton.Gabriel. d.loco nu.5.post Io.de Garro.in Rubric.de secund.nupt.in 1. parte in 28. pœnâ num. 59. vers.ex qua conclusione.*

SINGVLARE LXI.

Vilitatem, exilem, & malam conditionem personæ spectari.

SVMMARIA.

Iuramentum in probationis supplementum deferri non debet sine personæ iuraturæ delectu. num. 1.

Non defertur rustico, Iudæo, infideli, spurio, defectu aliquo laboranti. num. 2.

Quæ in animo consistunt iuramento probantur. num. 3.

Fallit in homine leui. Ibid.

Si ex statuto denunciatori vel mercatorum libris credatur, non procedet si sint infames. num. 4.

Publicè interest probationes non coangustari, sed ampliari. num. 5.

Pauperis testimonium suspectum. num. 6.

Pauperes ditiorum promissis & donis facile corrumpuntur. num. 7.

Officialis bouem vel asinum priuati rectè assumit, ad vehendum condemnatum ad locum supplicij, mercede data. num. 8.

Officialis potest vilem personam compellere, vt malefactorem exequatur. Ibid.

Mater meretrix filiam meretricem non potest exhæredare, aliud in patre voluptatibus addicto. nu. 9.

Mulieres magis decet castas esse quam mares. num. 10.

Ingenua

Ingenua honesto loco nata pro concubina retineri non potest, secus in illa quæ obscuro loco nata est, vel pudorem vulgauit. num. 11.

De iure Canonico omnis coïtus præter matrimonialem illicitus. Ibid.

Qui domum aleæ lusoribus præbet, verberatus vel furto ei facto pœnalem actionem non habet. num. 12.

Si res furtiua apud personam malæ famæ & conditionis inueniatur, quæ non docet à quo habuerit, poterit torturæ subiici. num. 13.

Mandatum superioris soliti minas exequi & mortem minantis ni subditus aliquem interficiat, an mandatarium homicidam excuset. num. 14.

Mulier impudica non rapta præsumitur, sed sponte fuisse abducta. num. 15.

Rapiens meretricem extraordinaria pœna punitur, interdum etiam mortis. num. 16.

Nuncio referenti se à citato verberatum esse, quatenus credatur. num. 17.

Maior præsumptio est pro sententia iudicis maioris, quam minoris. num. 18.

Pro sententia iudicis idiotæ non præsumitur. Ibid.

Neque pro decreto à iudice idiota interposito. num. 19.

Testis nobilis vel honestus equo vel vehiculo venit ad testimonium dicendum, rusticus debet pedes incedere. num. 20.

Nobili vberiora alimenta assignanda, quam rustico. num. 21.

Rusticus debet vesci grosso pane, caseo, cœpis, fabis & similibus cibis vilioribus. num. 22.

Venialiter peccat, qui nimium deliciosa vel sumptuo-

sa cibaria pauperibus in conuiuio praebet. num. 23. *Humiles personae acrius puniuntur quam honestae. num.* 24.

QVemadmodum praestantiae & legalitatis (vti nostri vocant) personarum de iure ratio habetur, ita quoque earum vilitas, tenuis & mala condicio, attendi & contra eas solet operari, prout latius sequentibus exemplis demonstrabitur.

1 Et quidem primò, licet multis casibus post semiplenam probationem suppletorium iuramẽtum deferatur, tamen hoc non passim & sine delectu debet deferri. Nam solers & prudens iudex inprimis qualitatem eorum qui sunt iuraturi inspiciet, ne commodi alicuius fallaci & miserâ spe decepti periurij reatum incurrant, & nihilo secus eâ ratione pars aduersa suo iure & suis bonis fraudetur.
2 Quare huiusmodi iuramentum rustico non erit deferendum. *Socin. sen. cons.* 136. *col. penult. lib.* 1. *Iac. Menoch. lib.* 2. *cent.* 2. *casu* 109. *nu.* 16. Item neque Iudaeo, nisi plus quam semiplenè probasset, vel inter ipsos Iudaeos causa agitaretur. *Socin. reg.* 252. *incip. iuramentum. Menoch. d. loco. num.* 15. Neque infideli. *Bald. in l. qui accusare C. de edend. Sebastia. Medic. reg.* 1. *qui refertur tractatu Regular. iuris Ciuil. & Pontific. libro* 9. *verb. Iudaeus.* neque spurio, *Petr. de Moncada in tractat. Io. Croti de test. parte* 4. *num.* 164. *in verb. aliquem defectum. Io. Petrus Surdus decis. Mantua.* 326. *num.* 95.

3 Secundò, quamuis ignorantia, scientia, & ea quae in animo consistunt, regulariter mediante iuramento probentur, hoc tamen fallit & non procedit in homine leui & qui malè audit. *Ias.* §. *sed ista.*

ista, Instit. de actio. num.96. Mascard. vol. 1. de probat. conclus. 94. incip. Animus cum directo, num. 28. Sic etiam, si dictet statutum fidem adhiberi denunciatori vel damnum passo cum iuramento, non stabitur si vel solâ facti infamiâ laborent. *Mascard. ibi suprà num. 29.* 4

Item licet aliàs iuxta ea *quæ præcedenti Singular. num.* 8. diximus mercatorum libri probent, illud non obtinebit in mercatore qui est infamis. *Mascard. d. loco ex doctrina Archidiac. in c. quia præsulatus. num. 4. 1. quæst. Felin. in c. significasti, num. 2. de homicid.*

Tertiò, quamuis publicè intersit probationes non coangustari sed ampliari, ne earum defectu rerum gestarum veritas in occulto maneat. *l. quoniam. 11. in fi. C. de hæret. & Manichæ. l. generaliter. 12. C. de reb. cred. & iureiur. in princ. Cachera. decis. Pedemont. 22. num. 2. Stephan. Gratia. decis. Rotæ prouinciæ Marchiæ. 116. num. 5.* tamen pauperis in causa producti testimonium suspectũ habetur & reprobatur. Nam homines inopes & egentes facilè blanditiis ac muneribus ditiorum solent corrumpi, & exiguum commodum veritatis professioni anteponere, iuxta illud poëtæ Lyrici, 5 6 7

Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quiduis & facere & pati,
Virtutisque viam deserit arduæ.

De quo plenè scribit *Iac. Menoch. de arbitrar. iudic. lib. 2. centur. 1. casu 96. per totum.*

Quartò, quemadmodũ officialis priuati bouem vel asinum datâ mercede potest capere, vt malefa-

ctorem

ctorem ad locum supplicij vehat. *Bart. in l. iubemus nullam, C. de sacros. Eccles. Bald. in l. fina. §. fina. ff. de pignoratit. actio. Alex. cons. 190. col. 3. vol. 2. Anton. Gabriel. libr. 3. commun. conclus. 2. tit. de iure quasi. non tollend. num.* 7. ita quoque vilem personam potest compellere, vt officium iustitiæ in personâ malefactoris exequatur. *Bartol. d. §. final. ff. de pignor. actio. Gabriel. d. loco. num.* 10.

9 Quintò, etsi filia quæ libidini ac turpitudini se dedit meretriciam vitam agendo possit exhæredari iuxta terminos & dispositionẽ. *§. causas, Authent. vt cum appellatio, &c.* tamẽ id non passim permissum est, neque licebit matri iisdem moribus & vitiis laboranti. *l. in arenam* 11. *C. de inoffic. testam. Bartol. Bald. & communiter Dd. in d. l. in arenam. Francis. Vi-*

10 *uius opinio.* 308. *incip. filia quæ peccauit. num.* 3. secus est in patre meretricario, eo quod mulieres magis castas esse decet quam mares, & vita luxuriosa tum respectu infamiæ tum damnorũ quæ inde sequuntur, non adeò in viris, ac in fœminis sit plectenda. *Andr. Tiraquel. l. connub.* 1. *num.* 43. *Francisc. Viuius d. loco num.* 2. *vtrumque notat Didac. Couuar. ad c. Raynutius x. de testam. cap.* 16. *vbi agit de exhæredatio. vel præteritione liberorum in testamento, num.* 22.

11 Sextò, de iure Ciuili antiquo cum ingenuâ honestę vitę lociq; cõmercium haberi non poterat, neq; pro concubinâ illa retineri sine crimine stupri. *l.* 3. *ff. de concubi. l. ni libera* 24. *ff. de ritu nuptiar. glos. in l.* 1. *verb. stuprum, d. tit. de concubi.* aliud dicendum erat, si obscuro loco nata esset, vel pudorem vulgauisset, *per dicta iura Wesenbec. in paratitl. ad d. tit. ff. de concubin. num.* 3. Hodie quamuis disputent Dd. an de iure ciuili permissus sit concubinatus an

secus;

ſecus; Canonum certè decretis conſtat, omnem coitum præter matrimonialem prohibitum eſſe. *Iul. Clarus §. Fornicatio. num. 6. & ſeqq.*

Septimò allego, iura omnem violentiam & furta ſummoperè deteſtari & acriter punire, tamen ſi quis aleæ ludendæ domum præbeat & verberetur vel furtum ei fiat, pœnalẽ actionem non habet, idq; 12
ob odium & improbitatem eius, qui tales luſores contra legum authoritatem peccantes, in domo fouet *l. 1. ff. de aleæ luſu & aleator.*

Octauò, quilibet præſumitur eſſe bonus, ac neminem re ſuâ per dolum vel iniuriam velle priuare; nihilominus ſi apud perſonam malæ famę & condi- 13
tionis res furtiua inueniatur, & non doceat à quo illam habuerit, furto cẽſebitur ſubtraxiſſe, ex cõmuni Dd. opinio. ita *Auguſti. ad Angel. de maleficiis verb. & veſtem caleſtem, poſt nu. 19.* adeò vt hæc præſumptio efficax ſit ad torturam ei inferendam, quamuis non ſufficiat ad condemnationem. *Iul. Clar. in recept. ſentent. §. Furtum, num. 5.* ſecus eſt, ſi præmemorata perſona eſſet bonæ vocis. Tunc enim præſumptio antedicta contra eum indicium non faceret ad torturam, dato etiam quod authorem ſuum non nominaret. *Idem Clarus §. final. pract. crimina. quaſt. 21. in fine.*

Nonò, mandatum ſuperioris, vt quis alium oc- 14
cidat cum comminatione ni faciat mandatarium è medio tollendi, ſi mãdans minas ſuas exequi conſueuit, mandatarium excuſabit ſaltem ab ordinariâ homicidij pœnâ, *Bald. in l. 1. queſt. 2. C. vnde vi. Frãciſc. Viuius deciſ. Regni Neapol. 394. incip. Iacobus. num. 13.* vbi caſus eſt in terminis, & talis mandatarius mortem naturalem euaſit, ſed ad triremes regias

centuria 2. casu 112. num. 13. Andr. Tiraquell. de retract. consang. §. 8. glos. 9. num. 24. Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de testibus, definit. 26. vbi ita dicit in Senatu Sabaudiæ decisum fuisse. Tamen oportet vt iudex etiam atque etiam inspiciat citati & Nuncij personas, & quid inde sit verisimile. *Menoch. ibi suprà. Alciat. tracta. præsumptio. reg. 3. præsumpt.* 14. & concurrentibus pro dicto nuncij aliquibus coniecturis, iudex pro suo arbitrio ei potest fidem adhibere, etiam pro indicio ad torturam. *Iose Mascard. vol. 2. de probat. conclus.* 1119. *num. 7. Henricus Boguet. ad consuetud. comita. Burgund. tit.* 10. *de rescousse, in verb. & sera ladite rescousse prouuée par deux tesmoings, num.* 4.

Duodecimò, maior est præsumptio pro sententiâ iudicis maioris, quàm minoris. *l. 1. ff. de offic. præf. prætor. Bald. in l. tutores. ff. de confirm. tut. Ias. in l. pacta nouissima*, 3. *notab. C. de pact. Iac. Menoch. libr. 2. de arbitra. iudic. centur.* 1. *casu* 4. *num.* 6. at pro sententiâ iudicis idiotæ nulla est præsumptio. *Ibid. num.* 7. 18

Item licet decretum iudicis præsumatur interpositum ex iustis causis *l. si quis pro publicis.* 2. *C. de offic. ciuil. iudic. l. ab ea parte.* 5. *ff. de probat. Bald. in l. errore, C. de testam. & ponit pro reg. Petr. Duen. reg.* 189. *incip. Decretum.* hoc fallit in iudice idiotâ. Quia verisimile non est, quòd ille iudex adhibuerit legitimam causæ cognitionem; vel fecerit seruari solennitates iuris, quas ignorat. *Areti. cons.* 69. *num.* 2. *Alciat. in tracta. de præsumptio. reg.* 10. *num.* 10. *tradit Duen. d. loco. vers. limita tertio.* 19

Decimò tertiò, etsi testi nobili in causa à litiga- 20
tore

tore producto vel producendo, vel alteri honestæ personæ quæ iter pedes conficere non solet, solui debeat vectura equorum vel sumptus vehiculi. *arg. l. idemq́. 10. §. idem Labeo. ff. manda. l. si fratres. 53. §. si quis ex sociis. ff. pro socio. Surdus tracta. de aliment. tit. 4. quæst. 21. nu. 7.* non tamen soluet rustico, quia non conuenit eius conditioni equitare, sed pedes debet incedere. *Surd. d. loco, num. 9. Andr. Tiraquell. tracta. de nobilitate, cap. 20. num. 75. Andr. Gail libr. 1. obs. 99. num. 4. Io. Crot. tracta. de test. parte 9. num. 61.*

21 Decimò quartò, in casibus ex quibus competit priuilegium, quod quis non possit conueniri vltrà quam facere possit deducto ne egeat, puta si sit maritus, miles, &c. iuxta *l. patronus. 17. & l. miles. 6. ff. de re iudic.* in ista deductione, vt aliqui volunt, consideratio habenda est personæ, ita vt nobilis vberiora alimenta consequatur, & ne pauperum cibis cogatur esse contentus. *arg. sed etsi quis inædificauerit. 19. §. sufficienter. ff. de vsufr. l. cum vnus. 10. §. alimentis. ff. de aliment. & cibar. lega. c. non cogantur. 41. distinct. Tiraquell. d. tractat. de nobilita. cap. 20. num. 136.* à quibus aliqui dissentiunt relati ibidem *num. 138.* Certè minus rustico relinquendum est,
22 quem sufficit vesci grosso pane, caseo, cœpis, fabis; non item pane albo, pullis & aliis delicatis
23 cibariis, *Tiraquell. ibi. sup. num. 136.* Imò venialiter peccat, qui pauperibus nimium deliciosa & sumptuosa cibaria apponit, *vt per eundem num. 140. d. loco c. vnum orarium, circa fin. 25. distinct. iuxta antiquas impressiones & lecturas.*

24 Decimò quintò, humiles & abiectæ personæ acrius puniuntur quam honestæ, Ita l. Iulia stupratori-

toribus si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum; si humiles corporis coërtionem cum relegatione indixit. §. *item lex Iulia de adulter. vers. pœnam autem. Instit. de publ. iudic.* Item homo liberæ conditionis raptum committens, capitali quidem supplicio feritur, seruus autem comburitur: vti noto hic suprà *vers. incip. Eodem spectat.* Item si seruus cum domina commercium habuerit, hæc quidem etiam vitâ priuatur, sed ille flammis traditur. *l. vn. C. de mulier. quæ se propriis ser. iunxer.*

Ex iis quæ multum notanter tradidi, inprimis pro singularibus designo positionem primam, quartam, quintam, nonam, decimam atque duodecimam.

SINGVLARE LXII.

Cautio in transactione adhibenda.

IS qui cum alio transigit & rem aliquam aduersario dimittit, cautè & prouidè agere debet. Itaque in instrumento transactionis inseri curabit, quod parti dimittat vel relaxet talem rem vel fundum; non autem quod det vel tradat. His enim casibus postmodum fortè secutâ euictione de ea teneretur, non item superioribus. *l. si pro fundo. 33. & ibi Dd. ac pulchrè Salicet. num. 6. C. de transact.* tradit singulariter *Francis. Viuius opin. 1003. num. 5. incip. transactio est contractus.*

SIN-

SINGVLARE LXIII.

Secundæ nuptiæ.

SVMMARIA.

Mors memoranda Porciæ Catonis filiæ. num. 2.

Mulieres magis amant coniugia, quam coniuges. num. 3.

Exemplum notabile remissiue. num. 4.

Mulier post mortem viri ab eius lege soluta est. num. 5.

De viro qui 20. vxores, & muliere quæ 21. maritos habuit. num. 6.

Anima defuncti, vidua renubente, dicitur contristari. num. 7.

Quatenus vitâ functis viuentium actiones innotescant, remissiuè. num. 8.

Mulier binuba ob secundum maritum filium excoriaret. num. 9.

Secundæ nuptiæ non benedicuntur. num. 10.

Bona viduam in vxorem ducentis sunt obligata pro administratione & tutela liberorum ab eadem habita & gesta, si antè rationem non reddidit. num. 11.

Idem in bonis eius, qui matrem pupillorum in concubinam assumpsit. num. 12.

Si testator dixit, quod bona aliqua dotandis mulieribus applicabuntur, non comprehenduntur viduæ. num. 13.

Legatum

Legatum viduæ factum intelligitur de prima eius viduitate. num. 14.

LAudandæ sunt istæ mulieres, quæ cum semel connubialibus tædis se submiserint, memoriam defuncti viri piè conseruantes, vlteriorum nuptiarum cogitationem deponunt, ac Romanæ Porciæ sententiam præ oculis & in animo gerunt, quæ felicem & pudicam mulierem dicebat non nubere, nisi semel. Hæc fuit illa Porcia, digna proles quæ Catonem patrem nominaret, quæ vim sibi inferre & è viuis excedere maluit, quàm defuncto marito superesse; cuius obitum in Epigrammatibus suis in hunc modum describit Martialis,

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti
Et subducta sibi quæreret arma dolor,
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari:
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Ecce mirandum ac stupendum posteritati amoris ac fidei coniugalis exemplum, in ethnicâ illâ superstitionum nube. Muliebre pectus, plus quam virili animositate & robore instructum. Celebrandum denique æternâ memoriâ facinus, sed non imitandum Christianis. Mollius agitur hodiernis moribus, cùm viduæ defuncto coniuge sæpenumerò eius amorem, vnà cum cadauere & ossibus terræ mandatis sepeliunt, & vix imò nondum exacto luctus anno, ad noua connubia aspirant atque

3 adeò alienis amplexibus indulgent. Nimirum quia muliebres animi plus coniugia amant, quàm coniuges, vti dixit *Ludouic. Charond. en ses Responses du droict François, lib. 3. respons.* 74. & est memorabi-
4 le ac insigne exemplum apud *Andr. Tiraquell. tracta. de ll. connubial. l. 9. num. 97.*

Dederunt etiam hoc humanæ fragilitati Canonicæ sanctiones & ipsa quoque sacra scriptura, vt & secundæ & tertiæ & vlteriores nuptiæ iniri possint,
5 quia ex sententiâ *D. Pauli* 1. *Corinth.* 7. Mulier est alligata legi, quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, liberata est. Cui vult nubat, tantum in Domino. *text. c. aperiant obtrectatores, cum duobus seq.* 31. *q.* 1. *text. c. penult. & vlt. de secund. nupt. Octauia. Cachera. decis. Pedemonta.* 77. *num.* 12. refert-
6 que D. Hieronymus *in epistola ad Geruntiam*, Damasi temporibus Romæ par coniugum fuisse, quorum alter viginti vxores sepelierat, altera maritos viginti & vnũ. Quamuis tamẽ, tam de iure ciuili quã Canonico pluralitas nuptiarum sit permissa, non sunt tamen secundæ & vlteriores nuptiæ tam fauorabi-
7 les. quàm primæ. Dicitur enim mulier secundò nubens liberis iniuriam inferre, & per hoc animam defuncti contristari, inquiunt Legistæ. *Francisc. Viuius opinio.* 852. *num.* 3. *Authent. de nuptiis.* §. *si autem tutelam. glos. & Dd. in l.* 1. *C. de secund. nupt. bald. in Auth. cui relictũ C. de indict. viduit. tollẽd. Alex. cons.* 31. *nu.* 15. *in fin. vol.* 7. *Roland. à Valle cons.* 69. *nu.* 24. *vol.* 1. super quo posteriori dicto scribit *Viuius d. loco* & itidem super eo, quatenus vitâ defuncti noscãt viuentium
8 actiones. Imò præsumit lex contra viduam secundò nubẽtem, quod bona & vitam filiorum secundo marito velit addicere. *l. lex quæ tutores.* 22. §. *lex enim*

C. de

C.de administrat.tutor. Imò,quod propter secundum 9
virum, filium excoriaret. *Mattha.de Afflict.decis.Neapol.357.num.2. per d.l. lex qua & Authent. ad hæc C. quand. mulier tute. offic. fungi potest. Antoni. Tessaur. decis.Pedemonta. 170.nu.5.vers.quarto facit.* & de iure 10
Canonum,vir vel mulier ad alterum matrimonium conuolans, à presbytero non benedicitur. *c.1.& 3. de secund. nupt.* quia cùm prima vice sint benedicti, benedictio iterari non debet. *d.c.3.* de consuetudine tamen, passim etiam benedictio datur, cùm viduus virginem ducit in vxorem.

Porrò omninò oportet vt caueat sibi, qui cum viduâ matrimoniũ contrahere intendit, liberos ex priore matrimonio habente, si administrationis ac tutelæ sibi creditæ rationem non reddidit, ne incidat in labyrinthum processuum & bonorũ suorum exitium. Nosse enim debet ac præuidere, quod ratione dictę administrationis & tutelę bona sua erũt obligata, iuxta text. *§. si autem tutelã. Authent.de nupt.* 11
l.si mater.6.C.in quib.caus. pign. vel hypoth.contrah. notatur lib.5.regular.iur.Ciuil. & Pontific.verb. executio, fol.508.col.1.vbi malè pro hoc citatur Petr.Duen.reg.75. debebat enim citari reg.275. incip.executio cõtra omnes, in fin.Andr.Gail lib.2.obs.90.nu.2. huius periculi seriò monens nuptias viduæ tutricis ambientem, etiam ad hoc Baldi authoritate adductâ *in l.penult.C.quib. ex caus.&c. notat Philip. Dec.cons.591.col.1.Anto.Ga-* 12
briel.lib.3.cõmu.conclus.9.nu.4.tit.de secund.nupt. Imò respectu dictæ administrationis & tutelæ etiam bona illius, qui matrem pupillorum pro cõcubinâ retinuit, sunt affecta, singulariter dixit *Anton.Gabriel. d.loco nu.5.post Io.de Garro.in Rubric.de secund.nupt.in 1.parte in 28. pœnâ num.59. vers.ex qua conclusione.*

13 Prætereà obſerues, ſi teſtator diſpoſuit, quod aliqua ſua bona mulieribus dotandis impendantur, viduis pauperibus & egenis ad ſecunda vota tranſeuntibus, dos dari non debet. Quia iſta diſpoſitio de primis nuptiis eſt intelligenda. *not. libr.* 4. *regul. iur. Ciuil. & Pontific. verb. Dos dari non debet, fol.* 440. *ex Sebaſtia. Medic. reg.* 3. *Bald. in proœm. decret. col.* 4. *Card. Florenti. conſ.* 49. *Card. Alex. in Rubr. de reſtit. ſpoliat. col.* 6. *Claud. in l. mulier. §. cum proponeretur, col.* 1. *ff. ad Trebell.* quæ doctrina eſt ſingularis. Imò legatum viduæ factum intelligitur de primâ & immediatâ viduitate. *l. bones.* 89. *§. hoc ſermone. ff. de verbo. ſignif. l. matrimonij,* 21. *ff. qui & à quibus manumiſ. lib. non fiant. l. fin. C. de indict. viduit. tollen. not. lib.* 19. *d. regula. iur. verb. viduæ legatum factum. fol.* 566. *col.* 2. Tene menti.

SINGVLARE LXIIII.

In bello cæſos per gloriam in æternum viuere.

NOta, quòd illi qui fortiter & animosè in acie dimicando, pro Principis & Reipublicę incolumitate vitam ſuam ac ſanguinem profuderunt, per gloriam in æternum viuere intelliguntur. *text. l. bello amiſſi.* 22. *ff. de excuſat. tutor. text. §. filij autem, Inſtit. eod. tit.* Itaque ſi ſtatuto fortè ſit cautum, vt certè eſt variis locis, quod in ſucceſſione patris defuncti, filius ſecundò genitus ſit præferendus nepoti nato ex filio primogenito ante dictum patrem mortuo; hoc certè caſu, quando filius primogenitus

nitus in conflictu & acie fortiter cum hostibus depugnans occubuit, nepos anteferetur. Quia nimirum pater huius nepotis censetur in æternum per decus viuere, cui iure primogenituræ aui successio debetur: & etiam aliàs de iure communi, nepos in parentis sui, quamuis extra bellum mortui, locum succedit. Quare huiusmodi statuta iuri communi contraria, strictissimè accipi debent. Est verbum notabile, quod in magnis casibus vsui esse possit, ac singulare *Balthazaris Ayala tractat. de iure & offic. bellicis & disciplina militari libr. 3. cap. 7. num. 21. vbi hoc dictum pulcherrimè fundat soluens obiectiones, scribens etiam se accepisse, quod ita fuerit iudicatum. Item firmatur hoc dictum per ea quæ eleganter tradit Georgius de Cabedo decis. Regni Lusitaniæ 147. parte 1. vbi dicit coram Rege & Senatu sæpius sic decisum fuisse, controuersia mota inter nepotem & patruum super maioratus successione, primogenito vti supra in bello caso.*

SINGVLARE LXV.

Mens coniecturata testatoris.

SVMMARIA.

Pro disposito habetur, quod constituisset disponens, si rogatus fuisset. num. 1.

Mens agentium in quouis actu inprimis attendenda. num. 2.

Sicut homo ex animâ & corpore, sic actus humani ex mente & verbis consistunt. num. 3.

Legato vxori relicto donec castè vixerit, & eâ rogatâ post mortem restituere, si viuat inhonestè, substitutus ante eius mortem legatum capiet. numero 4.

1 DIspositio testatoris collata in vnum casum, habet etiam locum in alio omisso, quando verisimile est quod testator ita disposuisset, si de eo cogitasset, vel fuisset interrogatus. *l. tale pactum 41. §. final. ff. de pact. Io. Petr. Surd. decis. Mantua. 207. num. 11. Tiraquell. in præfatione l. si vnquam. C. de reuoc. donat. Marsil. in l. si quis vidua. num. 9. ff. de quæstio. not. Anton. Gomezius resolut. tom. 2. cap. 11. num. 34. per d. l. tale pactum. l. final. ff. de hæred. instituend. l. cum res, vers. 1. ff. de leg. 1. l. Titius. §. Lucius. ff. de liber. & posthum. l. si ita scriptum sit, eod. tit. l. cum auus. ff. de conditio. & demonstrat. alia iura & Dd. Petr. Peckius ad c. inspicimus, num. 10. de reg.*
2 *iur. in 6.* Maximè enim in quouis actu, voluntatem & intentionem agentium spectare atque ob-
3 seruare oportet. Quia sicut homo ex animâ & corpore, sic actus humani ex mente & verbis consistunt; & verba quidem sunt veluti superficies, mens vero spiritus & anima, iuxtà *Bald. in l. si quis seruo,*
4 *col. vlt. C. de furt.* Huc spectat eorum Doctorum traditio, qui censuerunt, si testator mille reliquit vxori donec castè & honestè vixerit, & post eius mortem voluit illa solui Titio; hoc casu si contingit vxorem inhonestè vitam instituere, Titius illa mille consequetur etiam antè, quam vxor è viuis excedat. Quia verisimiliter mens testatoris fuit,

vt

vt Titius ad legatũ admitteretur in casum inhonestæ vitę, sicut in casum mortis, ita voluerunt *Ricard. Malumb. Rainer. Bartol. Alberic. Roma. Castrens. Alex. Dec. Curt. Ruin, Picus, Bertrand. Præs. Euerard. Tiraquell. & plures alij, quos in tractat. de aliment. tit. 9. quæst. 25. num. 26. scribit Io. Petr. Surd. quod citauerit cons. suo 44. num. 6. & seqq.* subiicit tamen, Cogita quia non est tutum interponere iudicium, quando antiqui dubitando abstinuere.

Nihilominus pro confirmatione & bono fundamento huius dicti, quod pro singulari ponimus, optimè faciunt quæ ad longum & pulchrè scripta reliquit *Anton. Gomez. d. cap.* 11. *nu.* 34. vbi ponuntur similia, & argumenta contraria diluuntur, & hoc dictum etiam secutus fuit *Surd. præfato suo cons.* 44. *& num.* 6. & notanter tradidit *Roland. à Valle cons.* 70. *num.* 37. *vol.* 3. casum similem iam relato.

SINGVLARE LXVI.

De vicinalis putei refectione.

FVit quæsitum, cùm puteus vicinię ad vsum futurum necessariò esset reficiendus, & quidam ex vicinis contribuere in reparationem recusarent, dicẽtes priuatim domi se aquam habere, & vsui communis putei velle renunciare, num forent audiendi & à reparatione excusandi? Resp. hoc casu, si tales vicini diutius in viciniâ velint domicilium retinere, quod non sit eorum excusatio aut re-

nunciatio de iure recipienda : sed quod omninò præmemoratæ refectionis impensam sustinere, & æquali ratione cum aliis debeant contribuere, iuxta decisionem memorabilem & singularem *Bartolom. Cæpoll. tracta. de seruitut. vrbano. prædi. cap. 47. num. 4. quem refert, & eius resolutionem probando sequitur Renat. Choppin. ad consuetud. Andium libr. 1. cap. 20. num. 2. not. Andr. Gail libr. 2. obs. 56. num. 6. & scriptum reliquit Io. Garsias de expens. & meliorat. cap. 19. num. 12.*

SINGVLARE LXVII.

De Beneficio obtento ad præsentationem eius, qui ius patronatus non habuit.

SVMMARIA.

Si is fuerit in quasi possessione iuris præsentandi, quamuis postea inueniatur ius illud non habuisse, remanebit beneficiatus in Ecclesia. num. 1.

Bona fides tantum præstat, quantum rei veritas. num. 2.

1 INstitutus ad præsentationem eius qui fuit in quasi possessione iuris patronatus, beneficium obtinebit, neque eo priuabitur, quamuis posteà cõtingat verum patronum apparere, & per illum in iudicio ius patronatus euinci. *text. c. consultationibus, x. de iure patrona. ita iudicatum arresto Senatus Parisiens.*

Parisiens. testatur Io. Papon libro 2. *tit.* 9. *arre.* 18. *& pro hoc Charond. en ses responses du droict François, respons.* 100. quamuis nihil allegent. Hoc autem efficiunt, tam bona fides eius qui beneficiatum praesentauit (prout illa dicitur tantum possidenti praestare, quantum rei veritas *l. bona fides* 179. *ff. de reg. iur.*) quàm eiusdem quasi possessio. Nam sine hac quasi possessione eius, antedicta non procederent, & esset institutus ab Ecclesia remouendus *d. c. consultationibus*, qui textus est singularis & multum notandus. 2

SINGVLARE LXVIII.

An fideiussor totum debitum soluens, à confideiussore partem soluti recipiat.

SVMMARIA.

Quod ei contra confideiussorem actio non competit, nisi per cessionem. num. 1.
Quando huiusmodi cessio fieri debeat. num. 2.

Fideiussor qui alium habet confideiussorem pro eodem debito, videat ne à creditore molestatus ei satisfaciat, nisi prius sibi cedat actionem, qua dimidium eius quod soluit, possit repetere à confideiussore. Alioquin enim si in hoc negligens fuerit, istiusmodi cessione non factâ, contra ipsum confideiussorem non poterit experiri; sed suae in- 1

curiae

curiæ damnum quod patitur, acceptum ferre debebit. *l. cum alter.* 11. *C. de fideiussor. l. vt fideiussor.* 40. *ff. de fideiussor. Præs. Euerard. cons.* 1. *per tot.* vbi reprehendit venerandum quendam patrem, pro iurisperito se gerentem, qui contrarium responderat, & ibidem ponit rationem, quare diuersum in contutoribus, magistratibus & correis obtineat. *vers. nonobstat. Idem tenet additio. ad decis. Pedemont. Antoni. Tessauri* 191. *per tot.* dicens ita à Senatu iudicatum anno 1595. 28. Iunij. Ratio præmissæ positionis & iuris est, quia id quod soluit fideiussor pro liberatione principalis debitoris, & pro sua obligatione efficicaci soluit, & non principaliter pro obligatione sui confideiussoris, neque eum directò, sed ex consequentia duntaxat liberat, iuxtà *Præs. Euerad. d. loco, num.* 5. quod habe pro enunciato notabili, ac singulari.

2 Porrò cessio illa actionis per creditorem fideiussori debet fieri vel ante solutionem, vel post incontinenti, vel hoc acto etiam ex interuallo, iuxtà glos. insignem *in d. l. vt fideiussor, verb. non est, per l. cum is qui* 37. *ff. de fideiussor. l. fideiussoribus.* 18. *ff. eod. l. cum alter.* 11. *C. eod. tit.* atque ad hoc creditor potest compelli *l. sicut eligendi.* 21. *C. de fideiussor.*

SIN-

SINGVLARE LXIX.

Quando ex solutione per triennium continuatâ retro soluisse quis præsumatur.

SVMMARIA.

L. 3. C. de apochis publ. extenditur ad priuatos debitores annuarum præstationum , ad colonum, inquilinum, emphiteutam, censuarium debitorem. num. 1.

Fallentiæ dictæ legis. num. 2. & seq.

Ex solutione decem annorum præsumitur debitum præcessisse. num. 3.

Præsumptio cedit veritati. num. 4.

In claris & apertis rebus non oportet ad coniecturas decurrere. num. 5.

CElebris & famosa inter vtriusque iuris Dd. est dispositio singularis *l. quicunque. 3. C. de apoch. publ. lib.* 10. qua dicitur, quod ob solutionem quam tribus posterioribus annis debitor tributi demonstrat se fecisse, anteriorib. etiam annis soluisse præsumitur. Quæ quidem lex etsi in tributairo debitore concepta est, tamen ex cõmuni Dd. sententiâ, etiam ad alios annuarũ præstationum debitores prorogatur, statuiturq; pro regulâ, eum qui de triennali solutione docet, aliis etiã anterioribus annis soluisse præsumi ex *d. l. quicunque. notat Præs. Euerard. cons.* 1

cons.

ctorem ad locum supplicij vehat. *Bart. in l. iubemus nullam, C. de sacros. Eccles. Bald. in l. fina. § . fina. ff. de pignoratit. actio. Alex. cons.* 190. *col.* 3. *vol.* 2. *Anton. Gabriel. libr.* 3. *commun. conclus.* 2. *tit. de iure quasi. non tollend. num.* 7. ita quoque vilem personam potest compellere, vt officium iustitiæ in personâ malefactoris exequatur. *Bartol. d.* §. *final. ff. de pignor. actio. Gabriel. d. loco. num.* 10.

9 Quintò, etsi filia quæ libidini ac turpitudini se dedit meretriciam vitam agendo possit exhæredari iuxta terminos & dispositionē. §. *causas, Authent. vt cum appellatio, &c.* tamē id non passim permissum est, neque licebit matri iisdem moribus & vitiis laboranti. *l. in arenam* 11. *C. de inoffic. testam. Bartol. Bald. & communiter Dd. in d. l. in arenam. Francis. Vi-*

10 *nius opinio.* 308. *incip. filia quæ peccauit. num.* 3. secus est in patre meretricario, eo quod mulieres magis castas esse decet quam mares, & vita luxuriosa tum respectu infamiæ tum damnorū quæ inde sequuntur, non adeò in viris, ac in fœminis sit plectenda. *Andr. Tiraquel. l. connub.* 1. *num.* 43. *Francisc. Vinius d. loco num.* 2. *vtrumque notat Didac. Couuar. ad c. Raynutius x. de testam. cap.* 16. *vbi agit de exhæredatio. vel præteritione liberorum in testamento, num.* 22.

11 Sextò, de iure Ciuili antiquo cum ingenuâ honestę vitę lociq; cōmercium haberi non poterat, neq; pro concubinâ illa retineri sine crimine stupri. *l.* 3. *ff. de concubi. l. ni libera* 24. *ff. de ritu nuptiar. glos. in l.* 1. *verb. stuprum, d. tit. de concubi.* aliud dicendum erat, si obscuro loco nata esset, vel pudorem vulgauisset, *per dicta iura Wesenbec. in paratitl. ad d. tit. ff. de concubin. num.* 3. Hodie quamuis disputent Dd. an de iure ciuili permissus sit concubinatus an

secus;

ſecus; Canonum certè decretis conſtat, omnem coitum præter matrimonialem prohibitum eſſe. *Iul. Clarus §. Fornicatio. num. 6. & ſeqq.*

Septimò allego, iura omnem violentiam & furta ſummoperè deteſtari & acriter punire, tamen ſi quis aleæ ludendæ domum præbeat & verberetur vel furtum ei fiat, pœnalẽ actionem non habet, idq; 12
ob odium & improbitatem eius, qui tales luſores contra legum authoritatem peccantes, in domo fouet *l. 1. ff. de aleæ luſu & aleator.*

Octauò, quilibet præſumitur eſſe bonus, ac neminem re ſuâ per dolum vel iniuriam velle priuare; nihilominus ſi apud perſonam malæ famę & condi- 13
tionis res furtiua inueniatur, & non doceat à quo illam habuerit, furto cẽſebitur ſubtraxiſſe, ex cõmuni Dd. opinio. ita *Auguſti. ad Angel. de maleficiis verb. & veſtem cæleſtem, poſt nu.* 19. adeò vt hæc præſumptio efficax ſit ad torturam ei inferendam, quamuis non ſufficiat ad condemnationem. *Iul. Clar. in recept. ſentent. §. Furtum, num.* 5. ſecus eſt, ſi præmemorata perſona eſſet bonæ vocis. Tunc enim præſumptio antedicta contra eum indicium non faceret ad torturam, dato etiam quod authorem ſuum non nominaret. *Idem Clarus §. final. pract. crimina. quæſt. 21. in fine.*

Nonò, mandatum ſuperioris, vt quis alium oc- 14
cidat cum comminatione ni faciat mandatarium è medio tollendi, ſi mãdans minas ſuas exequi conſueuit, mandatarium excuſabit ſaltem ab ordinariâ homicidij pœnâ, *Bald. in l. 1. queſt. 2. C. vnde vi. Frãciſc. Viuius deciſ. Regni Neapol. 394. incip. Iacobus. num.* 13. vbi caſus eſt in terminis, & talis mandatarius mortem naturalem euaſit, ſed ad triremes

regias

centuria 2. casu 112. num. 13. Andr. Tiraquell. de retract. consang. §. 8. glos. 9. num. 24. Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de testibus, definit. 26. vbi ita dicit in Senatu Sabaudiæ decisum fuisse. Tamen oportet vt iudex etiam atque etiam inspiciat citati & Nuncij personas, & quid inde sit verisimile. *Menoch. ibi suprà. Alciat. tracta. præsumptio. reg. 3. præsumpt.* 14. & concurrentibus pro dicto nuncij aliquibus coniecturis, iudex pro suo arbitrio ei potest fidem adhibere, etiam pro indicio ad torturam. *Iose Mascard. vol. 2. de probat. conclus. 1119. num. 7. Henricus Boguet. ad consuetud. comita. Burgund. tit. 10. de rescousse, in verb. & sera ladite rescousse prouuée par deux tesmoings, num. 4.*

Duodecimò, maior est præsumptio pro sententiâ iudicis maioris, quàm minoris. *l. 1. ff. de offic. præf. prætor. Bald. in l. tutores. ff. de confirm. tut. Ias. in l. pacta nouissima, 3. notab. C. de pact. Iac. Menoch. libr. 2. de arbitra. iudic. centur. 1. casu 4. num. 6.* at pro sententiâ iudicis idiotæ nulla est præsumptio. *Ibid. num. 7.* 18

Item licet decretum iudicis præsumatur interpositum ex iustis causis *l. si quis pro publicis. 2. C. de offic. ciuil. iudic. l. ab ea parte. 5. ff. de probat. Bald. in l. errore, C. de testam. & ponit pro reg. Petr. Duen. reg. 189. incip. Decretum.* hoc fallit in iudice idiotâ. Quia verisimile non est, quòd ille iudex adhibuerit legitimam causæ cognitionem, vel fecerit seruari solennitates iuris, quas ignorat. *Areti. cons. 69. num. 2. Alciat. in tracta. de præsumptio. reg. 10. num. 10. tradit Duen. d. loco. vers. limita tertio.* 19

Decimò tertiò, etsi testi nobili in causa à litigatore 20

tore producto vel producendo, vel alteri honestæ personæ quæ iter pedes conficere non solet, solui debeat vectura equorum vel sumptus vehiculi. *arg. l. idemq;. 10. §. idem Labeo. ff. manda. l. si fratres. 53. §. si quis ex sociis. ff. pro socio. Surdus tracta. de aliment. tit. 4. quæst. 21. nu. 7.* non tamen soluet rustico, quia non conuenit eius conditioni equitare, sed pedes debet incedere. *Surd. d. loco, num. 9. Andr. Tiraquell. tracta. de nobilitate, cap. 20. num. 75. Andr. Gail libr. 1. obs. 99. num. 4. Io. Crot. tracta. de test. parte 9. num. 61.*

21 Decimò quartò, in casibus ex quibus competit priuilegium, quod quis non possit conueniri vltrà quam facere possit deducto ne egeat, puta si sit maritus, miles, &c. iuxta *l. patronus. 17. & l. miles. 6. ff. de re iudic.* in ista deductione, vt aliqui volunt, consideratio habenda est personæ, ita vt nobilis vberiora alimenta consequatur, & ne pauperum cibis cogatur esse contentus. *arg. sed etsi quis inædificauerit. 19. §. sufficienter. ff. de vsufr. l. cum vnus. 10. §. alimentis. ff. de aliment. & cibar. lega. c. non cogantur. 41. distinct. Tiraquell. d. tractat. de nobilita. cap. 20. num. 136.* à quibus aliqui dissentiunt relati ibidem *num. 138.* Certè minus rustico relinquendum est,
22 quem sufficit vesci grosso pane, caseo, cœpis, fabis; non item pane albo, pullis & aliis delicatis
23 cibariis, *Tiraquell. ibi. sup. num. 136.* Imò venialiter peccat, qui pauperibus nimium deliciosa & sumptuosa cibaria apponit, *vt per eundem num. 140. d. loco c. vnum orarium, circa fin. 25. distinct. iuxta antiquas impressiones & lecturas.*

24 Decimò quintò, humiles & abiectæ personæ acrius puniuntur quam honestæ. Ita l. Iulia stupratori-

toribus si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum; si humiles corporis coërtionem cum relegatione indixit. §. *item lex Iulia de adulter. vers. pœnam autem. Instit. de publ. iudic.* Item homo liberæ conditionis raptum committens, capitali quidem supplicio feritur, seruus autem comburitur: vti noto hic suprà *vers. incip. Eodem spectat.* Item si seruus cum domina commercium habuerit, hæc quidem etiam vitâ priuatur, sed ille flammis traditur. *l. vn. C. de mulier. quæ se propriis ser. iunxer.*

Ex iis quæ multum notanter tradidi, inprimis pro singularibus designo positionem primam, quartam, quintam, nonam, decimam atque duodecimam.

SINGVLARE LXII.

Cautio in transactione adhibenda.

IS qui cum alio transigit & rem aliquam aduersario dimittit, cautè & prouidè agere debet. Itaque in instrumento transactionis inseri curabit, quod parti dimittat vel relaxet talem rem vel fundum; non autem quod det vel tradat. His enim casibus postmodum fortè secutâ euictione de ea teneretur, non item superioribus. *l. si pro fundo.* 33. *& ibi Dd. ac pulchrè Salicet. num.* 6. *C. de transact.* tradit singulariter *Francis. Viuius opin.* 1003. *num.* 5. *incip. transactio est contractus.*

SIN-

SINGVLARE LXIII.

Secundæ nuptiæ.

SVMMARIA.

Mors memoranda Porciæ Catonis filiæ. num. 2.

Mulieres magis amant coniugia, quam coniuges. num. 3.

Exemplum notabile remissiue. num. 4.

Mulier post mortem viri ab eius lege soluta est. num. 5.

De viro qui 20. vxores, & muliere quæ 21. maritos habuit. num. 6.

Anima defuncti, vidua renubente, dicitur contristari. num. 7.

Quatenus vitâ functis viuentium actiones innotescant, remissiuè. num. 8.

Mulier binuba ob secundum maritum filium excoriaret. num. 9.

Secundæ nuptiæ non benedicuntur. num. 10.

Bona viduam in vxorem ducentis sunt obligata pro administratione & tutela liberorum ab eadem habita & gesta, si antè rationem non reddidit. num. 11.

Idem in bonis eius, qui matrem pupillorum in concubinam assumpsit. num. 12.

Si testator dixit, quod bona aliqua dotandis mulieribus applicabuntur, non comprehenduntur viduæ. num. 13.

Legatum

Legatum viduæ factum intelligitur de prima eius viduitate. num. 14.

LAudandæ sunt istæ mulieres, quæ cum semel connubialibus tædis se submiserint, memoriam defuncti viri piè conseruantes, vlteriorum nuptiarum cogitationem deponunt, ac Romanæ Porciæ sententiam præ oculis & in animo gerunt, quæ felicem & pudicam mulierem dicebat non nubere, nisi semel. Hæc fuit illa Porcia, digna proles quæ Catonem patrem nominaret, quæ vim sibi inferre & è viuis excedere maluit, quàm defuncto marito superesse; cuius obitum in Epigrammatibus suis in hunc modum describit Martialis, 1 2

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti
Et subducta sibi quæreret arma dolor,
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari:
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Ecce mirandum ac stupendum posteritati amoris ac fidei coniugalis exemplum, in ethnicâ illâ superstitionum nube. Muliebre pectus, plus quam virili animositate & robore instructum. Celebrandum denique æternâ memoriâ facinus, sed non imitandum Christianis. Mollius agitur hodiernis moribus, cùm viduæ defuncto coniuge sæpenumerò eius amorem, vnà cum cadauere & ossibus terræ mandatis sepeliunt, & vix imò nondum exacto luctus anno, ad noua connubia aspirant atque

M adeò

3 adeò alienis amplexibus indulgent. Nimirum quia muliebres animi plus coniugia amant, quàm coniuges, vti dixit *Ludouic. Charond. en ses Responses du droict François, lib. 3. respons. 74.* & est memorabi-
4 le ac insigne exemplum apud *Andr. Tiraquell. tracta. de ll. connubial. l. 9. num. 97.*

Dederunt etiam hoc humanæ fragilitati Canonicæ sanctiones & ipsa quoque sacra scriptura, vt & secundæ & tertiæ & vlteriores nuptiæ iniri possint,
5 quia ex sententiâ *D. Pauli 1. Corinth. 7.* Mulier est alligata legi, quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, liberata est. Cui vult nubat, tantum in Domino. *text. c. aperiant obtrectatores, cum duobus seq. 31. q. 1. text. c. penult. & vlt. de secund. nupt. Octauia. Cachera. decis. Pedemonta. 77. num. 12.* refert-
6 que D. Hieronymus *in epistola ad Geruntiam*, Damasi temporibus Romæ par coniugum fuisse, quorum alter viginti vxores sepelierat, altera maritos viginti & vnũ. Quamuis tamẽ, tam de iure ciuili quã Canonico pluralitas nuptiarum sit permissa, non sunt tamen secundæ & vlteriores nuptiæ tam fauorabi-
7 les. quàm primæ. Dicitur enim mulier secundò nubens liberis iniuriam inferre, & per hoc animam defuncti contristari, inquiunt Legistæ. *Francisc. Vinius opinio. 852. num. 3. Authent. de nuptiis. §. si autem tutelam. glos. & Dd. in l. 1. C. de secund. nupt. bald. in Auth. cui relictũ C. de indict. viduit. tollẽd. Alex. cons. 31. nu. 15. in fin. vol. 7. Roland. à Valle cons. 69. nu. 24. vol. 1.* super quo posteriori dicto scribit *Vinius d. loco* & itidem super eo, quatenus vitâ defuncti noscãt viuentium
8 actiones. Imò præsumit lex contra viduam secundò nubẽtem, quod bona & vitam filiorum secundo marito velit addicere. *l. lex qua tutores. 22. §. lex enim*

C. de

C.de administrat.tutor. Imò,quod propter secundum 9
virum, filium excoriaret. *Matthæ.de Afflict.decis. Neapol.357.num.2. per d. l. lex quæ & Authent. ad hæc C. quand. mulier tut e. offic. fungi potest. Antoni. Tessaur. decis.Pedemonta. 170.nu.5.vers.quartò facit.* & de iure 10
Canonum,vir vel mulier ad alterum matrimonium conuolans, à presbytero non benedicitur.*c.* 1.*&* 3. *de secund. nupt.* quia cùm prima vice sint benedicti, benedictio iterari non debet.*d.c.*3. de consuetudine tamen, passim etiam benedictio datur, cùm viduus virginem ducit in vxorem.

Porrò omninò oportet vt caueat sibi, qui cum viduâ matrimoniũ contrahere intendit, liberos ex priore matrimonio habente, si administrationis ac tutelæ sibi creditæ rationem non reddidit, ne incidat in labyrinthum processuum & bonorũ suorum exitium. Nosse enim debet ac præuidere, quod ratione dictę administrationis & tutelę bona sua erũt obligata, iuxta text.*§ si autem tutelã. Authent.de nupt.* 11
l.si mater.6.C.in quib.caus. pign. vel hypoth.contrah. notatur lib.5.regular.iur.Ciuil. & Pontific.verb. executio, fol.508.col.1.vbi malè pro hoc citatur Petr.Duen.reg.75. debebat enim citari reg.275. incip.executio cõtra omnes, in fin.Andr.Gail lib.2.obs.90.nu.2. huius periculi seriò monens nuptias viduæ tutricis ambientem, etiam ad hoc Baldi authoritate adductâ *in l.penult.C.quib. ex caus.&c.notat Philip. Dec.cons.591.col.1.Anto.Gabriel.lib.3.cõmu.conclus.9.nu.4.tit.de secund.nupt.* Imò 12
respectu dictæ administrationis & tutelæ etiam bona illius, qui matrem pupillorum pro cõcubinâ retinuit, sunt affecta, singulariter dixit *Anton.Gabriel. d.loco nu.5.post Io.de Garro.in Rubric.de secund.nupt.in 1.parte in 28.pœnâ num.59. vers.ex qua conclusione.*

nitus in conflictu & acie fortiter cum hostibus depugnans occubuit, nepos anteferetur. Quia nimirum pater huius nepotis censetur in æternum per decus viuere, cui iure primogenituræ aui successio debetur: & etiam aliàs de iure communi, nepos in parentis sui, quamuis extra bellum mortui, locum succedit. Quare huiusmodi statuta iuri communi contraria, strictissimè accipi debent. Est verbum notabile, quod in magnis casibus vsui esse possit, ac singulare *Balthazaris Ayalæ tractat. de iure & offic. bellicis & disciplinà militari libr. 3. cap. 7. num. 21. vbi hoc dictum pulcherrimè fundat soluens obiectiones, scribens etiam se accepisse, quod ita fuerit iudicatum. Item firmatur hoc dictum per ea quæ eleganter tradit Georgius de Cabedo decis. Regni Lusitaniæ 147. parte 1. vbi dicit coram Rege & Senatu sæpius sic decisum fuisse, controuersià mota inter nepotem & patruum super maioratus successione, primogenito vti suprà in bello caso.*

SINGVLARE LXV.

Mens coniecturata testatoris.

SVMMARIA.

Pro disposito habetur, quod constituisset disponens, si rogatus fuisset. num. 1.

Mens agentium in quouis actu inprimis attendenda. num. 2.

Sicut homo ex animâ & corpore, sic actus humani ex mente & verbis consistunt. num. 3.

Legato vxori relicto donec castè vixerit, & eâ rogatâ post mortem restituere, si viuat inhonestè, substitutus ante eius mortem legatum capiet. numero 4.

1 DIspositio testatoris collata in vnum casum, habet etiam locum in alio omisso, quando verisimile est quod testator ita disposuisset, si de eo cogitasset, vel fuisset interrogatus. *l. tale pactum 41. §. final. ff. de pact. Io. Petr. Surd. decis. Mantua. 207. num. 11. Tiraquell. in præfatione l. si vnquam. C. de reuoc. donat. Marsil. in l. si quis vidua. num. 9. ff. de quæstio. not. Anton. Gomezius resolut. tom. 2. cap. 11. num. 34. per d. l. tale pactum. l. final. ff. de hæred. instituend. l. cum res, vers. 1. ff. de leg. 1. l. Titius. §. Lucius. ff. de liber. & posthum. l. si ita scriptum sit, eod. tit. l. cum auus. ff. de conditio. & demonstrat. alia iura & Dd. Petr. Peckius ad c. inspicimus, num. 10. de reg.*
2 *iur. in 6.* Maximè enim in quouis actu, voluntatem & intentionem agentium spectare atque ob-
3 seruare oportet. Quia sicut homo ex animâ & corpore, sic actus humani ex mente & verbis consistunt; & verba quidem sunt veluti superficies, mens vero spiritus & anima, iuxtà *Bald. in l. si quis seruo, col. vlt. C. de furt.*
4 Huc spectat eorum Doctorum traditio, qui censuerunt, si testator mille reliquit vxori donec castè & honestè vixerit, & post eius mortem voluit illa solui Titio; hoc casu si contingit vxorem inhonestè vitam instituere, Titius illa mille consequetur etiam antè, quam vxor è viuis excedat. Quia verisimiliter mens testatoris fuit,

vt Titius ad legatū admitteretur in casum inhonestæ vitę, sicut in casum mortis, ita voluerunt *Ricard. Malumb. Rainer. Bartol. Alberic. Roma. Castrens. Alex. Dec. Curt. Ruin. Picus, Bertrand. Præs. Euerard. Tiraquell. & plures alij, quos in tractat. de aliment. tit. 9. quæst. 25. num. 26. scribit Io. Petr. Surd. quod citauerit cons. suo 44. num. 6. & seqq.* subiicit tamen, Cogita quia non est tutum interponere iudicium, quando antiqui dubitando abstinuere.

Nihilominus pro confirmatione & bono fundamento huius dicti, quod pro singulari ponimus, optimè faciunt quæ ad longum & pulchrè scripta reliquit *Anton. Gomez. d. cap.* 11. *nu.* 34. vbi ponuntur similia, & argumenta contraria diluuntur, & hoc dictum etiam secutus fuit *Surd. præfato suo cons.* 44. *& num.* 6. & notanter tradidit *Roland. à Valle cons.* 70. *num.* 37. *vol.* 3. casum similem iam relato.

SINGVLARE LXVI.

De vicinalis putei refectione.

FVit quæsitum, cùm puteus vicinię ad vsum futurum necessariò esset reficiendus, & quidam ex vicinis contribuere in reparationem recusarent, dicẽtes priuatim domi se aquam habere, & vsui communis putei velle renunciare, num forent audiendi & à reparatione excusandi? Resp. hoc casu, si tales vicini diutius in viciniâ velint domicilium retinere, quod non sit eorum excusatio aut renun-

nunciatio de iure recipienda : ſed quod omninò præmemoratæ refectionis impenſam ſuſtinere, & æquali ratione cum aliis debeant contribuere, iuxta deciſionem memorabilem & ſingularem *Bartolom. Capoll. tracta. de ſeruitut. vrbano. prædi. cap. 47. num. 4. quem refert, & eius reſolutionem probando ſequitur Renat. Choppin. ad conſuetud. Andium libr. 1. cap. 20. num. 2. not. Andr. Gail libr. 2. obſ. 56. num. 6. & ſcriptum reliquit Io. Garſias de expenſ. & meliorat. cap. 19. num. 12.*

SINGVLARE LXVII.

De Beneficio obtento ad præſentationem eius, qui ius patronatus non habuit.

SVMMARIA.

Si is fuerit in quaſi poſſeſſione iuris præſentandi, quamuis poſteà inueniatur ius illud non habuiſſe, remanebit beneficiatus in Eccleſia. num. 1.

Bona fides tantum præſtat, quantum rei veritas. num. 2.

1 INſtitutus ad præſentationem eius qui fuit in quaſi poſſeſſione iuris patronatus, beneficium obtinebit, neque eo priuabitur, quamuis poſteà cõtingat verum patronum apparere, & per illum in iudicio ius patronatus euinci. *text. c. conſultationibus, x. de iure patrona. ita iudicatum arreſto Senatus Pariſienſ.*

Parisienſ. teſtatur Io. Papon libro 2. tit. 9. arre. 18. *& pro hoc Charond. en ſes reſponſes du droict François, reſponſ.* 100. quamuis nihil allegent. Hoc autem efficiunt, tam bona fides eius qui beneficiatum 2
præſentauit (prout illa dicitur tantum poſſidenti præſtare, quantum rei veritas *l. bona fides* 179. *ff. de reg. iur.*) quàm eiuſdem quaſi poſſeſſio. Nam ſine hac quaſi poſſeſſione eius, antedicta non procederent, & eſſet inſtitutus ab Eccleſia remouendus *d. c. conſultationibus*, qui textus eſt ſingularis & multum notandus.

SINGVLARE LXVIII.

An fideiuſſor totum debitum ſoluens, à confideiuſſore partem ſoluti recipiat.

SVMMARIA.

Quod ei contra confideiuſſorem actio non competit, niſi per ceſsionem. num. 1.
Quando huiuſmodi ceſsio fieri debeat. num. 2.

FIdeiuſſor qui alium habet confideiuſſorem pro 1
eodem debito, videat ne à creditore moleſtatus ei ſatisfaciat, niſi prius ſibi cedat actionem, qua dimidium eius quod ſoluit, poſſit repetere à confideiuſſore. Alioquin enim ſi in hoc negligens fuerit, iſtiuſmodi ceſſione non factâ, contra ipſum confideiuſſorem non poterit experiri; ſed ſuæ in-

curiæ

curiæ damnum quod patitur, acceptum ferre debebit. *l. cum alter.* 11. *C. de fideiussor. l. vt fideiussor.* 40. *ff. de fideiussor. Præs. Euerard. cons.* 1. *per tot.* vbi reprehendit venerandum quendam patrem, pro iurisperito se gerentem, qui contrarium responderat, & ibidem ponit rationem, quare diuersum in contutoribus, magistratibus & correis obtineat. *vers. nonobstat. Idem tenet additio. ad decis. Pedemont. Antoni. Tessauri* 191. *per tot.* dicens ita à Senatu iudicatum anno 1595. 28. Iunij. Ratio præmissæ positionis & iuris est, quia id quod soluit fideiussor pro liberatione principalis debitoris, & pro sua obligatione efficicaci soluit, & non principaliter pro obligatione sui confideiussoris, neque eum directò, sed ex consequentia duntaxat liberat, iuxtà *Præs. Euerad. d. loco, num.* 5. quod habe pro enunciato notabili, ac singulari.

2 Porrò cessio illa actionis per creditorem fideiussori debet fieri vel ante solutionem, vel post incontinenti, vel hoc acto etiam ex interuallo, iuxtà glos. insignem *in d. l. vt fideiussor, verb. non est, per l. cum is qui* 37. *ff. de fideiussor. l. fideiussoribus.* 18. *ff. eod. l. cum alter.* 11. *C. eod. tit.* atque ad hoc creditor potest compelli *l. sicut eligendi.* 21. *C. de fideiussor.*

SIN-

SINGVLARE LXIX.

Quando ex solutione per triennium continuatâ retro soluisse quis præsumatur.

SVMMARIA.

L. 3. C. de apochis publ. extenditur ad priuatos debitores annuarum præstationum, ad colonum, inquilinum, emphiteutam, censuarium debitorem. num. 1.

Fallentiæ dictæ legis. num. 2. & seq.

Ex solutione decem annorum præsumitur debitum præcessisse. num. 3.

Præsumptio cedit veritati. num. 4.

In claris & apertis rebus non oportet ad coniecturas decurrere. num. 5.

CElebris & famosa inter vtriusque iuris Dd. est dispositio singularis *l. quicunque. 3. C. de apoch. publ. lib.* 10. qua dicitur, quod ob solutionem quam tribus posterioribus annis debitor tributi demonstrat se fecisse, anteriorib. etiam annis soluisse præsumitur. Quæ quidem lex etsi in tributairo debitore concepta est, tamen ex cõmuni Dd. sententiâ, etiam ad alios annuarũ præstationum debitores prorogatur, statuiturq; pro regulâ, eum qui de triennali solutione docet, aliis etiã anterioribus annis soluisse præsumi ex *d. l. quicunque. notat Præs. Euerard.* 1

cons.

conſ. 14. *num.* 6. *al.* 7. *& paßim tradunt ſcribentes.*

Quare ſi colonus vel inquilinus per apochas locatorias oſtendat, tribus annis proximè elapſis à ſe Domino prædij vel domus ſatisfactum fuiſſe, cenſebitur præcedentium etiam annorum mercedem præſtitiſſe, & fruſtrà prætextu debiti moleſtabitur, *ita poſt Bartol. Plate. ad præfatam l. quicunque. Bald. in l.* 5. *C. de dot. promiſſio. Anton. Gomezius reſolut. tom.* 2. *cap.* 3. *num.* 13. *verſ. item adde.*

Idem dic in emphiteutâ, *per gloſſ. l. in emphiteuticariis* 2. *verb. repellere. C. de iure emphiteut. Maſuer. in ſua pract. tit. de ſolut. num.* 11. *Capell. Tholoſa. & ibi in addit. Aufrer. quæſt.* 235. *item fuit quæſitum ſi aliquis, per tot. Eman. Soarez in theſaur. recepta. ſentent. verb. Emphiteuta. num.* 59.

Item in cenſuario debitore. *Anton. Gomez. ad l.* 68. *Tauri, in fine. Soarez & Capell. Tholoſ. locis præallegatis & pro hoc iudicatum teſtatur Ludouic. Charond. Iuriſcõſultus Gallus, en ſes reſponſes du droict François, reſponſ.* 76.

2 Limita & declara iſtam Doctrinam, vt procedat quando illa ſolutio trium annorũ eſſet facta quouis anno, ſecus ſi ſimul & ſemel vno anno pro tribus quis ſoluiſſet. *Aufrer. ibi ſuprà Gomez. ad l.* 68. *Tauri, in fine.* quæ limitatio eſt magna & ſingularis.

3 Et facit pro hac limitatione, quod quamuis ex ſolutione decem annorum præſumitur debitum præceſſiſſe *l. cum de in rem verſo.* 6. *ff. de vſur.* tamen iſta præſumptio non habet locum, quando vna ſolutio pro decem & pluribus annis fieret. *Bartol. in l. eum qui al. Iabolenus. ff. de annu. legat. Bald. in prætacta l.* 2. *C. de dot. promiſſ. Aufrer. ad d. q.* 235. *in fine.*

Limita

Limita ſecundò, vt contrarium legitimis probationibus poſſit doceri, per text. *in d. l. quicunque, in verb. manifeſta aſſertione patefecerit. Bart. & Alex. ibidem. Eman. Soarez d. verb. Emphiteuta.* 4
Quia omnis præſumptio cedit veritati. *l. vlt. C. ſi minor ſe maior. dixer. l. penult. §. mulier al. l. Imperatores, ante penult. §. fina. ff. de probat. Iac. Menoch. lib. 1. præſumpt. 31. num. 5.* & in claris atque apertis non 5
oportet ad coniecturas decurrere *l. continuus. 137. §. cum ita, & ibi gloſ. in verb. nullus. ff. de verbor. obligat. Cacheran. deciſ. Pedemonta. 23. num. 41. Præſ. Euerard. in præambulis loco. legal. num. 8.*

SINGVLARE LXX.

Ius accreſcendi locum habere in legato executoribus teſtamentariis relicto, & in eorundem officij adminiſtratione.

SI tres executores teſtamēto ſint dati, & teſtator voluit quod reſpectu laborum haberent centum, quæ iis legauit; vno nolente ſe adminiſtrationi immiſcere, vel etiam ob ſuſpicionem fortè remoto, duo reliqui integra cētum iure accreſcendi conſequentur, text. ſingularis in *l. vn. §. vbi autem C. de caduc. tollend. Capella Tholoſa. & ibidem Aufrer. quæſt. 293. incip. Item dati ſunt tres executores.*

Similiter pluribus teſtamento executoribus conſtitutis, ſi eorum quidam mortui ſint, aut ad executionem

executionem testamenti nolint concurrere, muneris administratio aliis accrescet. *arg. l. pluribus. 32. ff. de procur. c. non iniuste, eod. tit. l. non distinguemus. 37. §. cum in plures. ff. de recept. arbitr. l. 1. ff. de vsufr. accres. Michael Gras. recepta. sentent. lib. 2. artic. Executores vltimarum voluntat. quaest. 4. num. 5. post Iaso. in l. re coniuncti. ff. de leg. 3. Bartol. cons. 147. Speculato. Io. à Canibus, Oldrad. à se citatos.* dicitque se indubitanter ita concludere, licet alij sentiant, iis casibus executionem ad Episcopum spectare; alij velint, quod in locum deficientis, Episcopus alium debeat subrogare. *pro Grasso est text. in c. religiosus §. 1. de testam. in 6. & idem cum eo tenet Ioan. Dilectus de arte testandi tit. 7. caute. 8.* & est multum notabile.

SINGVLARE LXXI.

De cistâ vel valisiá apud cauponem vel alium depositâ, è qua res dicuntur esse sublatę.

SVMMARIA.

Quatenus hoc nomine caupo teneatur. num. 1.
Et alij depositarij. num. 2.
Declarationes super materiâ. Ibid.
Iudaeo non conceditur contra depositarium in litem iurare. numero 4.

1 QVi penes aliquem cauponem cistam vel valisiam clausam deposuit, si illa postmodum reddita

dita fuerit aperta aut dissigillata, deficientibus probationibus, creditur iuramento deponentis, circà res quæ dictæ cistæ valisiæve fuerant inclusæ. *l.* 1. *§. in depositi quoque actione, cum. §. si cista. ff. depositi. hanc opinionem dicit esse communem Iul. Clarus libro* 5. *recepta.sententiar. §. furtum.num.*27. *ex Ias. in l. actionibus, num.* 41. *ff. de in litem iurand.* & sibi placere, vt stetur contra caupones hospitis iuramento, cum sæpè tale genus hominum sit furacissimum, de quo est text. *in l.* 1. *§. maxima vtilitas. ff. nautæ, caupones, stabula. not. Elbert. Leonin. cons.* 17. *num.* 2. *Idem tenet Ema. Soarez. in thesaur. recepta. sentētia. verb. Hospes. Iose. Ludouici conclus.* 18. *num.* 15.

Amplia primò, vt sit locus dicto iuramento non requiri, quod aperuerit cistam vel valisiam hospes, & res iis inclusas cauponi ostenderit, quamuis id voluerit *glos. in d. l.* 1. §. *fina. ff. nautæ, caupo. stabula. nam communiter ista glos. reprobatur, iuxta Iaso. num.* 34. *& Iul. Clar. d. locis.*

Amplia secundò, vt prædicta etiam respectu aliorum depositariorum procedant, qui non sunt caupones, ita in generalibus terminis loquitur de depositario *text. d. §. si cista, & itidem Ioseph. Mascard. vol.* 1. *de probat. conclus.* 508. *incip. deponentes sarcinulam. Castrens. & Costal. in suis Aduersar. ad. ff. in d. §. si cista. Ludouic. à Peguera Regij consil. Cathalon. decis.* 45. *incip. Hæc quæstio, in addit. vers. quæ omnia.* 2

Anne ergo statim & indifferenter viatoris siue deponentis affirmatio iuratoria admittetur, in præiudicium cauponis & alius depositarij? Minimè verò. Ad quod propositum operæ precium est sequentes declarationes animaduersione inprimis

mis dignas, ac Singularium traditionum numero meritò adſcribendas, ſubnectere.

Præmiſſa enim interpretes non procedere declarant, inſpectâ facti ac perſonarum qualitate. Pone caſum, ſi valiſia ita fuit ſigillata quod per ſe facilè potuit diſſigilari, & depoſitarius ſit vir boni nominis ac exiſtimationis: ſi deponens cuſtodiam rei ipſe retinuit, fortè ſeruis ſuis mandauit, vel ciſtam aut valiſiam in propriâ camerâ vel thalamo depoſuit & claues apud ſe detulit, in quo tamen puncto diſſentiunt Dd. ſi ille qui valiſiam vel ciſtam clauſam depoſuit talis erat conditionis, quod veriſimiliter præſumi non poſſit tot & tanta bona ſiue pecunias habuiſſe, quot furto ſubtractas ſibi eſſe affirmat, tum enim conſideranda eſt qualitas perſonæ, & eſt locus arbitrio iudicis. Item ſi ex perſonarum qualitate Iudex arbitretur iuramentum viatori vel deponenti deferendum eſſe, id faciet præmiſſa taxatione, vt *in l. ſi quando. 9. C. vnde vi.* Prætereà antedicta non procedunt, ſi caupo vel alius ſuſcipiens cuſtodiam rem in ſolito & conſueto loco repoſuit, putà ballas lanarum ſeorſim à cauponâ in angiportu de more ſuo collocauit, cùm aliquæ inueniuntur apertæ, non tenebitur: ſi ille qui vali-
4 ſiam vel ciſtam depoſuit, ſit Iudæus, periurus vel aliâ infamiæ notâ laboret, ob quam pro alio non poſſit eſſe teſtis maior omni exceptione: ſi valiſia vel ciſta reſtituitur clauſa eo modo quo tradita fuerat; quia enim non apparet de ſigno aperturæ, deponens ad iurandum non admittetur, quamuis aſſerat adulterinâ claue, vel alio modo reſeratas fuiſſe: ſi viator vel deponens non petit à Iudice quod iuramentũ ſibi deferatur, quippe non debet

Iudex

iudex nisi rogatus officiũ suum impartiri : si statutum dictet, quòd ob subtractionē rei supià decem valentis fur corporali pœnâ afficiatur, & accusator criminaliter actionem instituat. Nam in causis criminalibus accusatori non est indulgendũ, vt iuramento imperfectas suas probationes perficiat, sed in iis debent probationes luce meridianâ clariores adhiberi. Quas practicas declarationes vtilissimas & aureas studiosè obserua, diuersis allegationibus Scribētium notanter firmatas, tum apud *Iacob. Menoch. lib. 2. de arbitrar. iudic. casu* 208. *tum apud Ludouic. à Peguera d. decis.*45. *in addit.*

SINGVLARE LXXII.

Adulterio à muliere commisso, non semper dotem amitti.

SVMMARIA.

Maritus celans adulterium vxoris est patronus turpitudinis. num. 1.

Fatuus est qui perseuerantem in adulterio vxorem retinet. num. 2.

Nihil imputandum ei, qui non potuit prohibere. numero 3.

Ad opprobrium malæ voluntatis trahi non debet, quod vis miserabilis fortunæ extorsit. d. num. 3.

Voluntas & propositum distinguunt maleficia. numero 4.

Sine animo delinquendi non committitur delictum. num.5.

Nemo debet sine culpâ iure suo priuari. num.7.

Factum cuiq; suum non alteri nocere oportet. num. 8.

Iniuria aboletur dissimulatione & reconciliatione. num. 9.

Paria delicta mutuâ compensatione tolluntur. numero 10.

Incontinentia mariti etiam castas vxores exasperat. num. 11.

Nemo iure ab alio virtutem exigit, qui ipse est vitiosus. num. 12.

Non seruatur ei honor, qui se ipsum in scelus deduxit. num. 14.

Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. num. 15.

PLacet hoc loco pleniùs tradere, quod ratione adulterij à muliere commissi, non semper dos amittatur. Pone casum, quod de consensu mariti tale crimen admiserit, vel eo non prohibente cum alio commercium habuerit, vtique non cadet suâ dote *l. quoniam. 26. C. de adulter. c. discretionem, vers. quod si forsitan, de eo qui cognouit consang. vxo. sua. Francisc. Viuius decis. Regni Neapol. 241. num. 43.*
1 *Idem decis. 122. nu.* 18. Nam maritus ad adulterium vxoris conniuens & cœlans est particeps, imò patronus turpitudinis *c. 1. c. apud misericordem. 32.*
2 *quaest. 1.* & fatuus ac demens dicitur, qui in adulterio perseuerantem retinet *c. 1. & c. dixit Dominus. 32. quaest. 1. ante allegata.* Scienti porrò & consentienti non fit vllus dolus neque iniuria, vulgato *c. scienti. de reg. iur. in 6.*

Item

Item pone casum, quod mulier per violentiam fuerit oppressa, quia non potest de adulterio accusari. *l. si uxor.* 13. *§. si quis plane l. vim passa.* 39. *ff. ad l. Iul. de adulter. l.* 1. *§. remouet. ff. de postulan. l. fœdissimam C. de adulter.* Neque ei quid imputandum 3
quæ prohibere non potuit, neque ad opprobrium malæ voluntatis trahi debet, quod vis miserabilis fortunæ extorsit. *c. cum per bellicam.* 34. *quæst.* 1.

Item pone, quod maritum absentem mortuum existimans alij nupserit, fortè si credat ob longam viri absentiam testimonio virorum fide dignorum, aut aliis violentis præsumptionibus fuerit permota *d. c. cum per bellicam. Franciscus Viuius decis.* 241. *num.* 54. vbi talem facti contingentiam describit. *fac. nota. Anton. Gomez. ad l.* 80. *Tauri, num.* 31. *vers. item etiam circa prædictam l. quæro.*

Item si ignoranter mulier & per fraudem ac dolum cognita fuerit ab illo, quem maritum suum esse arbitrabatur. *arg. l. si ignorans.* 12. *ff. loca. & conduct. c. in lectum.* 34. *quæst.* 1. *c. si verò aliquis, de sent. excommunic. Viuius decis. Regni Neapol.* 122. *nu.* 23. Quia voluntas ac propositum distinguunt ma- 4
leficia. *l. qui iniuria.* 55. *ff. de furt. l.* 1. *ff. ad l. Cornel. de sicar.* & sine animo delinquendi, non committitur delictum *l. diuus Adrianus.* 14. *ff. ad l. Cornel. de sicar.* 5

Item si ex priore matrimonio mulier liberos habeat, secundo viro dos tota non applicabitur, licet adulterium commiserit; sed tantum consequetur, quantum vnius prædictorum liberorum saltem legitima portio valebit, vti declarat *Ioan. Papon, lib.* 22. *tit.* 9. *arr.* 5. *referens ita fuisse iudicatum.*

6 Item si mulier, quæ hoc crimine se inuoluit, habeat patrem, ratione eius quod illa deliquit, pater non priuabitur dote. *ita notatur libro* 11. *regula. iur. Ciuil. & Pontificij, verb. Mulier adultera, & citantur Cyn. Bald. Angel. & Salicet. in l. si cum dotem. C. de iure dot. & in l. 2. §. si voluntate. ff. solut. matrimo. & ibi Ias. Castrens. Imol. Alberic. Bartol. Alex. Angel. in l. filiusfamilias. ff. de damn. infect. Boër. quæst.* 237. *num.* 5. *& 6. vbi tamen hoc non dicit, sed quæst.* 338.
7 *num.* 5. Neque enim debet quis sine culpâ iure suo priuari. *c. discretionem. c. fin. de eo qui cogno. consang.*
8 *vxor. sua.* & factum cuique suum, non alteri nocere æquitati consentaneum est. *l. factum. ff. de reg. iur.*

Item si vir cum vxore se reconciliarit, cessat amissio dotis. *l. si vxor.* 13. §. *si quis planè. ff. de adulter. & stupr. l. Lucius Titius.* 39. *ff. solut. matrimon. c. plerumque, de donat. inter vir. & vxor. Io. Petr. Surd. de*
9 *aliment. tit. 7. quæst. 16. num.* 102. *& seq.* Nam omnis iniuria abolctur dissimulatione & reconciliatione. *§. fina. Instit. de iniur. d. §. si quis planè.*

Idem ergo dic, si maritus sciens vxorem adulterium perpetrasse, eam nihilominus carnaliter cognoscit. *d. l. si vxor.* §. *sed & si qua. ff. de adulter. Iul. Clarus recepta. sententiar. lib. 5. §. Adulterium, vers. caueat etiam maritus.*

Item si maritus retinet concubinam, vel adulterio se antè contaminauit, vxor quoque fidem connubij violans non priuabitur suâ dote. *d. l. si vxor.* §. *index. ff. de adulter. c. intelleximus, eod. tit. c. significasti, de diuort. Francisc. Viuius decis. Regni Neapol.*
10 357. *num.* 2. quia paria delicta mutuâ compensatione tolluntur. *l. viro atque vxore.* 40. *ff. solut. matrim. l. si ambo.* 10. *ff. de compensat. l. ita nobis, C. ad l. Iul.*

de adul-

de adulter. & stupro. d. c. intelleximus & c. fina. de adulter. c. significasti, de diuort. & mariti concubitus cum 11
impudicis mulieribus, iure etiam castas vxores solet exasperare. §. *mitiores itaque, Authent. de nupt. l. consensu. 8. C. de repud. Cachera. decis. Pedemonta. 77. num. 9.*

Adde, quod nemo iure ab alio exigit virtutem, 12
qui ipse vitio laborat, & periniquum videtur, vt vir pudicitiam coli velit ab vxore, quam ipse non exhibet. *d. l. si vxor. §. iudex.*

Imò, si maritus contra vxorem diuortij sententiam obtinuerit, cogitur nihilominus illá recipere, si ipse posteà fornicatus fuerit. *c. ex literis, de diuort.* quos enim mores in se quis approbat, frustrà in al- 13
tero damnare conatur. *l. in arenam. 11. C. de inoffic. testam.* & ei non seruatur honor, qui se ipsum in sce- 14
lus deduxit. *l. senatoris. 47. ff. de ritu nuptia.*

Item si maritus requisitus non reddat debitum coniugale, adulterio commisso vxor non punietur dotis amissione. *c. si tu abstines. 27. q. 7. Si tu abstines*, inquit text. *sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.* & sic hoc casu, qui occasionem damni dat, 15
damnum dedisse videtur, iuxtà *l. si seruus seruum. 27. §. si quis insulam. l. qui occidit. 30. §. in hac actione. ff. ad l. Aquil. & similia iura, de quo latiùs vide libro 11. regula. iur. Ciuil. & Pontific. verb. Mulier adultera, gloss. & Dd. in d. c. si tu abstines. not. Boër. decis. 297. num. 15. pulchrè scribens.*

Dicta post *num. 6.* & post *num. 9. & num. 15.* maximè videntur notabilia, sed & omnia nota, quia materiam apud nullum authorem tam amplè inuenies declaratam.

SINGVLARE LXXIII.

An res in commissum cadens durante vsufructu proprietarij an vero vsufructarij lucro cedat.

SVMMARIA.

Per distinctionem declaratur num. 1. 2.

Insula in flumine nata quamuis proprietati accedit, eius tamen vsumfructum non consequitur vsufructuarius. num. 2.

1 OMninò memoriæ commendanda est doctrina ista Doctorum memorabilis, quod si res ipso iure cadit in commissum, ad proprietarium, non ad vsufructuarium pertinebit; eo quod tum fit consolidatio dominij vtilis cum directo, quod quidem directum dominium penes vsufructuarium non existit, & quia venit ex natura contractus putà emphiteutici, & sic ad dominum pertinebit, non ad vsufructuarium, atque adeò venit per modum separatum, vt in *l. item si fundi.* 10. §. *sed si*
2 *insula. ff. de vsufr. Sed si insula (inquit Celsus) iuxta fundum in flumine nata sit, eius vsumfructum ad fructuarium non pertinere. Pegasus scribit, licet proprietati accedat. Esse enim veluti proprium fundum, cuius vsusfructus ad te non pertineat.* Quod si res non ipso iure committatur, sed per sententiam, vsufructuario

rio applicabitur. Istam distinctionem tenet & ita singulariter & eximiè firmat *Guid. Papa quæst.* 477. *Henric. Boguet. ad consuetud. comita. Burgund. tit. des fiefz.* §. 16. *verb. Commise. num.* 3.

SINGVLARE LXXIIII.

De iudicum competentia ad delictum puniendum.

Contra delinquentem non potest inquisitio formari, neque potest is à iudice puniri, cui Domicilij vel originis ratione subditus non est, ob delictum quod alibi commisit. *clementi. pastoralis vers. cum etsi illa, de re iudica. punitio enim delictorum extra districtum imperij commissorum, ad Imperatorem nullatenus pertinet, vt dicit ibi text. & firmatur per scripta Chassanæi ad consuetud. Burgund. Rubr.* 1. §. 5. *verb. simple larcin. num.* 12. Quod benè nota tanquam verbum præclarum & singulare, quia in praxi quotidie potest iste casus obuiare, veluti & ipse aliàs isto casu obuiante, iuxta textum præmemoratum resolui. 1

Vagabundi tamen, pro criminibus à se patratis, vbicunque deprehensi fuerint, possunt condignâ pœnâ & supplicio affici. Nam cum incertis sedibus vagētur, in illos hoc vulgatum iactari solet, vbi te inuenero, ibi te iudicabo. text. est *in l.* 1. *iuncta ibi glos. in verb. reperiuntur. C. vbi de crimin. agi oport.* 2

SINGVLARE LXXV.

Iuramentum forum foro accumulare.

INter magnos & celebres effectus, quos iuramentum contractui adiectum solet operari, haud equidem minimo loco est ponendum, quod forum foro adiiciat atque accumulet; ita quidem vt iudex Ecclesiasticus, qui aliàs regulariter de causis laicorum inter se contendentium non cognoscit, hoc casu pro competenti habeatur, & coram eo laicus conueniri possit. *c. fina. de foro competen. in 6. Panormita. in c. cum venissent, de institutio. num.* 25. monens ex hoc bonam cautelam sumendum, vt in quolibet contractu iuramentum præstetur. Idem tradit *Aufrer. in addit. ad Capel. Tholosa. quæst.* 415. *incip. item fuit quæsitum an pupillus. Præs. Enerard. cons.* 81. *in fine. Idem in locis legalibus in loco à iuramenti vi, energià & efficacià, numero* 38. *Andr. Gail libro* 1. *obseruat.* 25. *numero* 4. est doctrina excellens & singularis.

SIN-

SINGVLARE LXXVI.

De pœnitentia.

SVMMARIA.

Peccandi consuetudo non nisi magna cum difficultate superatur. num. 1.

Senectus morborum vitia facilius prohibet, quam impetum regit. num. 2.

In Prælatum assumendus est potius, qui aliquando post casum pœnituit, quam qui nunquam cecidit. num. 3.

Pater tenetur dotare filiam volentem suam vitam impudicam emendare & honestè deinceps viuere. num. 4.

Maritus vxorem, quæ ab illo sine causa recessit, pœnitentem cogitur recipere. num. 5.

Qui pœnitentia ductus falsam monetam non perfecit, an puniatur. num. 6.

Delicto commisso pœnitens, ac omnia in priorem statum reponens, pœnâ extraordinariâ plectitur. num. 7.

In delictis consummatis, an sit locus mitigationi pœnæ, si is qui deliquit seriò vitam emendauit. numero 8.

In crimine hæresis pœnitenti parcitur. num. 9.

Si quis de hæresi aliquem falsò accusauerit, non valet pœnitere ad euitandum pœnam. numero 10.

Vir commercium habens cum vxore adultera & è con-

è contra priusquam de crimin pœnituit, mortaliter peccat. num. 11.

Hoc casu ad euitandum peccatum mortale, sufficit quod cœperit pœnitere. num. 12.

Vide tamen remissiue. num. 13.

IN communi hac naturæ humanæ fragilitate, non equidem mirum videri debet, homines interdum etiam illos, qui rerum diuinarum & humanarum profundâ cognitione & pietate cæteros antecellunt, vi atque impulsu affectuum suorum vehementiori à recto abduci, atque in errores & peccata prolabi. Quia illud & Dauidi, & Salomoni, & multis eximiis viris, tum qui ante & sub Mosaicâ lege, tum qui posteriori æuo in Euangelicâ luce vixêre, & sacris fidei Christianæ mysteriis initiati & imbuti fuêre, accidisse compertum est. Sed illud plurimùm est dolendum, quod aliqui ita prostrati iaceant in cœno suorum criminum, aliqui tam altè saucij & sic confecti, vt miserias suas ipsi intueri, mentem ad cœlum erigere, ac diuina ope iuuante è calamitoso suo statu emergere, ac saluti suæ consulere, non elaborent. In quam senten-
1 tiam pulchre *D. Augustin. in sermone quarta Dominica de Aduentu scribens*: Nolite, inquit, fratres mei contemnere peccata in quibus fortè consuetudinem iam fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullũ sit: obduruit iam, dolorem perdidit & valde putre est, nec dolet: quod non dolet, non pro sano habendum est, sed pro mortuo cõputandum est. Quãdo aliquid pungitur & dolet, aut sanũ est, aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autẽ tangitur, pungitur, calcatur, nec

nec dolet, pro mortuo habēdum ac de corpore præcidendum. Et *Seneca Epistol.* 85. Dum in istis vitiis iacuimus, inquit, euelli difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti. Non est morbus inter vitia contemnendus. Potest adolescentia iniurias ferre, & se aduersus morbos cōtumaciter gerere; vbi 2
verò senectus incubuit, facilius est, morborum vitia prohibere, quàm impetum regere. Quocircà prudentiùs & feliciùs agunt illi, qui vbi in vitia inciderunt, diu iacere nolunt, sed ad exemplum Petri, postquam Christum ad ancillarem vocē treme factus negasset, statim se conuertunt & è fœditate eluctantes, ad pœnitentiæ asylum confugiunt. Ita multis etiam profuit peccauisse. Sic post persecutionem Christianorum Saulus in Paulum euasit, Iudæus in magnum Doctorem gentium, hostis nominis Christiani, in singularem eius propagatorem. Post aliquod vitæ spacium impudicè & inhonestè exactum, Magdalena continentiæ & pœnitentiæ memorandum exemplum extitit. Post lapsum Petrus Apostolorum princeps se nosse incepit, aliorum qui fortè delinquerent, misereri & condolere didicit. Hinc notat *Francisc. Viuius decis. Regni Neapol.* 455. *incip. eligi in prælatum. num.* 12. (quod tamen extra controuersiam minimè pono) eius Diui exemplo, in Prælatum potius eum esse desi- 3
gnandum, qui post casum pœnituit, quam qui nunquam cecidit; quasi ille humanæ imbecillitatis effectum in se expertus, rectius aliorum infirmitatibus compati nouerit. *arg. c. considerandum & c. seq.* 50. *distinct.*

Respexerunt etiam aliquando leges ciuiles ad pœnitentiam eorum qui deliquerunt, & gratus fuit ille

ille dolor ac morum correctio, qua prioris malitiæ ac turpitudinis maculam eluere sunt conati, imò
4 ipsum facti dolere. Ad quod propositum allego primò, quamuis filia quæ in corpus suum peccauit, de iure exhæredari possit, iuxta terminos §. *causas Auth. vt cum de appellat.* si tamen in vita patris & ante conditum ab eo testamentum pœniteat, seque humiliet, & turpitudine suâ abiectâ vitam deinceps honeste & decenter instituere velit, receptum est eam exhæredari non posse. *Præs. Euerard. cons.* 182. *num.* 17. *sequendo Speculato. in tit. qui fil. sint legitimi. vers. Quid si filia. Bald. in l. si filia, C. de inoffic. testam. Anton. de Butrio in c. Quinta-vallis, de iureiur. not. Iodoc. Damhouder. in suo patrocinio pupillo. tit. de Tutor. & Curat. munere, cap.* 9. *nu.* 101. imò pater ei tenebitur dotem assignare, vt nubendo à libidine abstineat, & continenter ac pudicè in posterum se gerat. *Præs. Euerard. d. cons.* 182. *num.* 18. *Damhouder. d. loco. num.* 102. *Surdus tracta. de aliment. tit.* 7. *quæst.* 4. *num.* 27.

Secundò, quamuis maritus dotali lucro priuetur, qui malè vxorem tractat, si tamen re integrâ ad mentem reuersus, mores suos emendare, eamq; vt coniugem rerum ac fortunarum suarum sociam decet, tractare incipiat, istud lucrum non amittet. *Imola in l. si cum dotem. §. sin autem in sauissimo, post medium, vers. vltimò nota. ff. solut. matrimo. Io. Petrus Surdus d. tracta. de aliment. tit.* 1. *quæst.* 32. *numero* 32.

Tertiò, si vxor sine causa à viro recesserit, &
5 pœnitentiâ ducta reuertatur, prætextu illius discessus maritus illam repellere & reiicere non poterit: alioquin si illam non velit recipere, pro

eiecta

eiectâ & expulsâ habebitur. *Surd. d. quæst. 32. nu. 32.*

Quartò allego, qui inchoauit falsam monetam 6
fabricare, & sic ad actum extrinsecum processit, si deinde criminis grauitate & conscientiæ suæ stimulo commotus, desistit eamque non perficit, erit absoluendus, text. singularis *in l. qui falsam. 19. ff. ad l. Cornel. de fals. Guid. Papa quæst. 437. num. 2. Didac. Couuar. in clementi. si furiosus, parte 2. in princ. num. 6. vers. Contrariam tamen, de homicid. Iac. Menoch. lib. 2. centur. 4. casu 360. num. 10. num. 65.* dicens, quod non punitur aliquâ pœnâ. Fortè tamen extraordinariè puniretur aliquando, per doctrinam & allegata *Iulij Clari. §. final. pract. criminal. quæst. 60. num. 21. in fine, & per notata Io. Bajardi ad d. Clar. lib. 5. receptar. sentent. §. falsum, nu.* 315. vbi ex authoritate Afflicti tradit, quod quãdo aliqui reperti sunt per Curiam cum cuneis aptis ad faciendã falsam monetã adulterinam, & dicunt verum esse, quod volebãt facere falsam monetã, & omnia fuerunt pręparata, sed postea pœnituerunt & noluerunt perficere, & si cõstat quod est verum, non puniuntur pœnâ ordinariâ: quasi sentiat, quod extraordinariâ puniantur tali casu. Cogita.

Quintò, si delicto perpetrato quis statim pœniteat, & omnia in pristinum statum reponat, mitiori pœnâ afficietur & non ordinariâ delicti, vti not. *Andr. Tiraquell. tracta. de pœnis, caus. 60.* 7

Ibidem tradit decidisse *Alberic. in vlt. parte statuto. q. 69. quæro etiam supposito,* quod si quis duob. vel tribus diebus bannitũ receptauerit, & postea facti pœnitens eum prodiderit præsentaueritque Potestati, licet statuto certa pœna huiusmodi receptatoribus sit imposita, tamen in hoc pœnitente mitigabitur.

Sextò,

cere quod pœnitentiam agere cœperit *per c. ex literis, de furt. & c. fina. de diuort.* Idem obtinet in muliere, si vir coniugalem fidem violauerit, *vt per Viuium d. decis.* 241. *num.* 1. & est traditio singularis, tamen, ne erres, vide super hac traditione scribentem *Thomam Sanchez tracta. de sacros. matrimo. sacrament. libr.* 10. *disputat.* 13.

SINGVLARE LXXVII.

Quomodo interesse ob homicidium perpetratum, vel mutilationem factam, à iudice sit æstimandum.

SVMMARIA.

Quæ æstimatio operarum sit ineunda, si vulneratus statim moriatur. num. 1.

Quæ si superuiuat quidem, sed ad laborem sit effectus inutilis. num. 2.

Cicatricis ratio an & quando in hac materia habeatur. num. 3.

SI offensus vel vulneratus ab aliquo ex iniuriâ sibi illatâ remanet claudus, vel aliàs huiusmodi vitio aut defectu laboret, vt solito opificio operam dare non possit, quod inde damnum sentit, vtique offensor ei debet refundere ac reparare. Et quidem, si statim post acceptam iniuriam & læsionem

nem offensus è vitâ decedat, in æstimatione operarum defuncti seruanda veniet dispositio insignis
2 & singularis *l. hæreditatum. 68.ff. ad l. Falcid.* Si verò maneat superstes, earundẽ respectu annua summa ei adiudicabitur, per aduersarium ad vitam sui offensi præstanda. Neque hoc casu ad *d. l. hæreditatum* recurremus, eò quòd concipi & ferri certa condemnatio possit, ita *Azo in summa Instit. de obligat. quæ ex quasi delict. nascunt. col. & q. fina. Paris de Puteo in tracta. syndica. fol. 200. in part. quia pluries 2. col. vbi dicit ita se practicasse. refert & sequitur Anton.*
3 *Gomez. resolut. tom. 3. cap. 6. de iniuria. num.* 11. Cicatrix verò vel deformitas euidens, tanquam damnum vel interesse læsi in considerationem non veniet, per text. expres. & singularem *l. fina. ff. de his qui effuder. vel deiecer.* Quod dictum tamen fallit in muliere saltem non nupta, cum per hoc difficilius, aut certè non sine amplioris dotis assignatione matrimonio iungi possit. Item fallit in seruo vel animali, cùm minoris precij per hoc efficiantur. Item quamuis in homine libero non debeat cicatrix vel deformitas æstimari, vti suprà dictum est: tamen læsus propterea iniuriam sibi illatam rectè exaggerabit, & bonus iudex aduersarium etiam grauiùs cõdemnabit, quia atrox iniuria dicetur, sic *Gomez. loco allegato*, dicens, benè notandum, quia sic alibi declaratum non extat, & hæc sunt dignissima animaduersione.

SIN-

SINGVLARE LXXVIII.

In casu rescissorio diuisionis ex remedio l. 2. C. de rescind. vendit. reus conuentus in pecunia supplere non potest.

SVMMARIA.

In diuisione etiam per sortes facta habet locum remedium l. 2. C. de rescind. vendit. num. 1.

Habens excessiuam partem dicto casu non supplet in pecunia. num. 2.

CVm in diuisione quis vltrà dimidium est lęsus, rectè beneficium *l. 2. C. de rescind. vend.* obtinebit, idque etiamsi per sortes sit facta diuisio. *Bald. cons. 72. incip. factum super quo consilium petitur, in 2. dub. lib. 2. Idem in l. 3. C. commun. vtriusque iudic. Andr. Tiraquell. de iure primogenio. 17. quæstio. num. 93. Io. Schneydewi. ad Instit. in. §. quadam actiones. num. 66. de act.* Sed hoc casu non habebit facultatem conuentus pecuniariâ summâ supplementum diuisioni adhibendi, verùm tenebitur rem ipsam restituere, vel in rebus ipsis diuisionem supplere, aut de nouo facere diuisionem. *Io. Faber in l. in maioribus. C. commun. vtriusque iudicij. Arius Pinell. ad d. l. 2. parte 2. cap. 1. num. 5. Modernus Parisiens. ad consuetud. Paris. §. 22. num. 42.* iuxtà antiquiores impressiones, vbi dicit multos per imperitiam errare, 1 2

dum in libellis, etiam in impetrationib. Regiarum literarum super inęqualibus diuisionibus rerum immobilium rescindendis, alternatiuam apponunt *vel de supplendo precium ad electionem rei conuenti*, quæ non debet apponi, & est dictum singulare.

SINGVLARE LXXIX.

Pœnam per sententiam delinquenti inflictam, ei deberi qui iurisdictionis fructum habet tempore condemnationis, non criminis commissi.

POsito casu, quod ad aliquem spectent fructus iurisdictionis ad certum tempus, fortè titulo conductionis, si delictum quis committat pendente eo tēpore, sed demum eo elapso in pecuniariam pœnā condemnetur; Aduertas, quod ista pœna pecuniaria non ad illum, qui ius habebat tempore maleficij perpetrati spectabit, sed ad illum, qui tempore sententiæ & condemnationis, ius exigendarum pœnarum obtinebit, per text. *l. qui explicandi*, 10. *C. de accus. in verb. cuius finis in iudicis potestate ac motu situs est. l. furti.* 6. *§. si autem ff. de his qui not. infam.* ita resoluit, & signanter firmat reiectâ contrariâ opinione *Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de pœnis, definit.* 3. dicens eo iure Senatum Sabaudiæ vti, velut à senioribus Senatoribus fuit relatum pridie Non. Nouemb. 1588. & ita in eodem Senatu se

tu se præsente decisum fuisse 4. Id. Decembr. 1592. *Idem not. Guid. Papa quæst. 535. incip. Baro quidam, & Ludouic. Charondas en ses Memorables, verb. Ferme, fol. mihi 416. referens sic iudicatum arresto Curiæ Parisiens. 3. Iulij 1557.*

Cui dicto conforme est, quod si quis emerit iurisdictionem sub pacto de retrouendendo, & ante istam retrouenditionem quis deliquerit, qui non nisi post eam factam, ratione sui delicti fuit condemnatus: spectabit ista condemnatio pœnalis ad venditorem, qui mox tempore iudicati reemit. *Anton. Faber loco præmemorato in allegatio. & apostil. in fine.* vtrumque dictum est multum singulare.

SINGVLARE LXXX.

Donationem lucri statutarij inter virum & vxorem subsistere.

SVMMARIA.

Donationes inter coniuges prohibitæ, & quare. numero 1.

Fallit respectu eorum lucrorum, quæ ex statuto iis obueniunt. num. 2.

Diuersa sunt omnino lucrum non facere siue refutare, & damnum pati, vel suum alienare. numero 3.

Mulier potest renunciare ad fauorem mariti lu-

cro acquisito matrimonio constante, in quo vigore statuti partem habebat. num. 4.

Consensu uxoris accedente, maritus validè testabitur de vsufructu, qui aliàs ex statuto eidem vxori post mortem mariti deberetur. Item, talis consensus non potest reuocari. num. 5.

Maritus lucrum dotis, quod statuti beneficio post vxoris mortem erat consecuturus, ei potest remittere. numero 6.

1 QVamuis summâ cum ratione & sanctissimè legum conditores statuerunt, ne donationes ab vno coniugum alteri constante matrimonio factæ, valerent *l.2.& 3.de donat.inter vir.& vxor.l.1.l.creditor. 20.C.eod. Anton. Gomez. ad l. Tauri 53 num. 3. vers. pulchrum, & omnes passim Dd.* idque nè amor coniugalis precio vænalis fieret, sed ex legitimo potius vero & syncero affectu originem traheret, & continuando perseueraret, & ne is qui plus diligeret, dementi & inconsultâ animi passione occœcatus, bonis & facultatibus suis temerè se exueret, & sic melior decideret in paupertatem, deterior ditior fieret, vt habetur *d.l. 2.& 3.* tamen multis & diuersis modis istarum legum dispositio venit restringenda:
2 de quib. Deo fauente alibi fortassis latius & vberius agemus. In præsenti illã doctrinam tradimus, quod imò vnus coniugum alteri licitè potest donare, quæ ex formâ statuti ei obueniunt: quia per talem donationem matrimonio iuncti pauperiores fieri non
3 censentur. Cum videlicet longè aliud sit lucrum non facere seu vt nostri dicunt refutare, aliud omninò damnum pati, vel suum alienare. Itaque be-
4 nè potest mulier lucrum statutarium in maritum con-

conferre, & sic ad eius commodum & vtilitatem parti lucrorum acquisitorum renunciare, quæ aliàs virtute statuti ei competebat, ita firmat pulchrè & ad longum super eo scribens *Anton. Gomez. ad l. 60. Tauri, per tot. not. libro 4. regular. iur. Ciuil. & Pontific. verb. Donatio inter virum. vers. limita decimò, fol. 430. not. Petr. Duen. reg. 221. referens Chassan. ad consuetud. Burg. tit. des droictz, &c. Rubr. 4. §. 7. num. 9. Petrus Peckius de testam. coniug. libro 2. cap. 1. num. 3.*

Sic etiam, constante matrimonio benè ac validè fauori iuris municipalis renunciabit, quo vsumfructum in bonis mariti præmorientis erat consecutura: & consequenter maritus de tali vsufructu cum mulieris consensu, qui irreuocabilis erit, testabitur. Talis est casus super quo consuluit *Præs. Euerard. cons. 12.* 5

Item simili modo maritus constante matrimonio validè vxori donabit ea, quæ vigore statuti ad ipsum pertinebunt. Quare lucrum dotis sibi ita obuenturæ, rectè remittere poterit. *Alex. cons. 246. incip. placet, libro 6. Dec. cons. 260. incip. quæritur breuiter. Petr. Duen. ibi suprà. Phanuc. de Phanuc. tracta. de lucro dotis, glos. 8. num. 15. & seq.* quæ limitationes sunt singulares. 6

SINGVLARE LXXXI.

Legatum factum parochiali Ecclesiæ, cui Ecclesiæ debeatur, si domicilium testator mutauerit.

OMissâ disputatione & argumentis, quæ in vtramque partem depromi possent, dic breuiter tale legatum ad Ecclesiam parochialem in cuius loco testator postremò habitauit, non verò ad illam in cuius loco testamentum confecit, pertinere. Ita refutatâ contrariâ opinione tenet ac resoluit eximius Doctor, quem Patauinæ Academiæ splendorem vocat *Iosep. Mascard. vol.* 1. *de probat. conclus.* 560. *num.* 1. virum multæ lectionis & magni nominis *Anton. Tessaur. decis. Pedemonta.* 12. *num.* 1. *Iacobus Menochius libro* 4. *de præsumptio. præsumpt.* 114. *num.* 6. *& seq. & Boër. ibid. inter alios, ab eo relatus, quæstio.* 176. *num.* 4. *sic in Curia Burdigalensi conclusum & iudicatum fuisse testatur. Cui accedit doctissimi Mantica censura libro* 8. *de coniectur. vltimar. volunta. tit.* 6. *num.* 13. quare eam opinionem habe pro singulari & præcellenti & ab eâ ne recedas.

SIN-

SINGVLARE LXXXII.

De duplici prohibitione alienandi, legis scilicet & hominis, concurrente.

SVMMARIA.

Duplex illa probitito operatur, vt non valeat alienatio rei, quæ alioquin certis casibus bene procederet. num. 1.

Fundus dotalis & res subiecta restitutioni de iure alienari prohibentur. num. 2.

In bonorum confiscatione non venit res fideicommisso subiecta & alienari prohibita, ne quidem ad vitam eius qui deliquit. num. 3.

SI prohibitioni iuris communis, accedit alia noua prohibitio alienandi, tunc res alioquin in aliquo casu alienabilis, non poterit alienari, vti notat *Io. Petr. Surd. decis. Mantua.* 154. *num.* 10. *Bald. in l. quoties C. de fideicommis. Cuman. Imol. Ias. & alij in l. filiusfamilias. §. Dini. ff. de leg.* 1. *Idem Surd. decis. Mantua.* 254. *num* 35. *Præs. Euerard. cons.* 50. *num.* 4. *al.* 7. *Cachera. decis. Pedemonta.* 162. *sub fin. Hieron. Magon. decis. Florenti.* 50. *num.* 5. *Io. Dilect. de arte testan. tit.* 8. *caute.* 9. *num.* 2. 1

Quare si præter legalem prohibitionem ne alienetur fundus dotalis, pactum initum fuerit præterea de non alienando, non poterit alienari fundus 2

 dotalis,

dotalis, etiam in casibus, in quibus alioquin per legem alienare licuisset. *Salicet. in l. ea lege C. de condict. ob caus. Elbert. Leonin. cons. 97. nu.* 31. Sic cùm de iure alienatio rei restitutioni subiectæ sit prohibita, licet valeat alienari, quando ab ignorante in ignorantem bonâ fide fit alienatio, tamen id non obtinebit, si testator expresse prohibeat, cùm duplex prohibitio magis operetur. *Surd. d. decis.* 154. *num.* 10.

3 Similiter, si res per fideicommissum relicta, & per testatorem eius alienatio fuerit interdicta, bonis grauati ob delictum eius postea fisco adiudicatis, hæc res ne condemnati quidem vitâ durante, fisci commodo cedet. *Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de reb. alien. non alienan. definit.* 9. *Bartol ad l. imperator. ff. de fideicommissar. liberta. Alex. cons.* 23. *vol.* 1. *not. Anto. Gabriel. lib.* 7. *commu. conclus.* 24. *num.* 13. *&* 14. *tit. de maleficiis post Curt. iunio. cons.* 120. *col.* 3. *Ruin. cons.* 23. *num.* 15. *col.* 5. *Boër. decis.* 278. *col.* 2. *Bero. quæst.* 14. *circà fin.*

4 Addo, quod cùm res immobilis Ecclesiæ donatur, cum prohibitione quod alienari non possit, etiam ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem, vel necessitatem non poterit alienari. *gloss. c. verũ, in verb. debeat reuocari. x. de condit. appos. Matthæ. de Afflict. decis. Neapol.* 17. *nu.* 5. *vers. octauo quia.* Vbi hoc notat

5 si Ecclesiæ alia sint bona, quod etiam ponit prætacta *gloss.* & sic patet duo vincula & duas prohibitiones magis ligare, quàm vnam, iuxta *Authent. Itaque C. commun. de successio. l. penult. § si verè C. de adopt. c.* 1. *de treuga & pace.* omnes præmissæ positiones sunt singulares.

SIN

SINGVLARE LXXXIII.

Quod habens facultatem eligendi officialem, & iurans meliorem ſe electurum, ſe ipſe non poſſit eligere.

SI à communitate alicui ſit conceſſa facultas eligendi ad officium eum, quem maximè idoneum iudicabit, iſque iuramento bonâ fide ſe id facturum affirmarit, in tali facti contingentiâ notabis, tali facultate pollentem eligere ſe non poſſe, ne quidem tum, cùm nouit præ cæteris aptum & idoneũ ſe eſſe ad muneris cõferendi adminiſtrationẽ. Nam quamuis obiici poſſit, ſic eligẽtem ob periurij incurrendi diſcrimen iuuari, eò quòd aliàs contra conſcientiæ motum acturus foret, ſi minus quam ſe capacem nominaret: nihilominus illa obiectio attendi non debet, cùm inter eligentem & committentes cenſeatur actũ, ne ſe ipſum, ſed omninò aliquem alium eligeret. *l. ſi in emptione. 34. in fine. ff. de contrah. empt. l. ſi mãdauero. 22. §. ſi tibi. ff. mandati.* Ita traditum eſt, ſi quis tribus rei ſuæ venditionem commiſit, & vnus illorum emit, non valere & reuocari poſſe venditionem, quia mandatum videtur vt alij vendant, & non vt aliquis ipſorum mandatariorum rem ſibi acquirat, quod eſt verbum pulchrum, memorabile, & ſingulare *Bartholomæ. Brixienſ. in ſuis quæſtionibus venerialibus q. 25. incip. alicui de canonicis.*

SIN-

SINGVLARE LXXXIIII.

Onera hæreditaria pro portionibus hæreditariis præstari, non pro lucro quod peruenit ad hæredes.

SVMMARIA.

Quando ex statuto loci filius in duas partes feudi succedit, filia in tertiam, reditus nihilominus pro quo feudum est obligatum, æqualiter ab iis soluitur. num. 1.

Mutuum datum in emptionem rei feudalis, quæ vigore consuetudinis primogenito masculo defertur, non per hunc solum (quamuis patris sit hæres) solui debet, sed per omnes hæredes pro suis portionibus hæreditariis, numero 2.

1 SI quis filio & duabus filiabus relictis è viuis decedat, simul etiam relicto feudo, quod annuo reditu viuus grauauerat, & in quo iuxtà statutum locale duæ partes isti filio competebant, tertia verò filiabus deferebatur, quæstionis est quanam ratione ille reditus annuus solui debeat, anne filium oporteat in solutione duas partes ferre, filias tertiam: an verò æqualiter & pari contributione satisfacient? Dic quod æqualiter satisfacere tenentur, eò quod hæreditaria onera pro portionibus hæredita-

hæreditariis, non pro modo emolumenti debent ferri ac sustineri ab hæredibus. *l. 1. C. si cert. peta. l. 1. l. si adulta. 6. C. de hæred. actio. l. hæredes. 26. §. idem iuris. ff. famil. erciscund.* ita singulariter *Ludouicus Charond. I. C.tus Gallus en ses responses du droict François, libro septimo, respons. 139. Idem libro quarto resp. 22.*

Eodem modo si pater feudum emerit, & ad eius precium soluendum pecuniariam summam mutuò acceperit, ipso feudo ad securitatem mutuantis obligato, & deinde moriatur: filius primogenitus vigore consuetudinis loci in feudum succedens & hæres defuncti, minimè totum illud mutuum præstare cogetur, sed cum illo pariter omnes hæredes pro partibus hæreditariis contribuent. *Idem Charond.* multum signanter, singulariter & amplè in vtramque partem super hoc differens *in d. Respons. iuris Gallici lib. 5. resp. 37.* 2

SINGVLARE LXXXV.

Cùm præambula delicta tendunt ad eundem finem, solum puniri finale delictũ consummatum.

STatutum quadam pecuniariâ summâ punit ferentem arma, aliâ insultantem, aliâ vulnus infligentem. Titius cum armis Mæuium aggressus eumque vulnerans, quæro num triplici pœnâ sit afficiendus? 1

afficiendus ? Dic quod non, ſed quod ſatisfaciendo & ſoluendo pœnam, quæ indicta fuit vulneranti, vlterius non teneatur; quia antecedentia delicta cum extremo & grauiori delicto manent confuſa. *gloſſ. notab. in l. qui de crimine. 9. verb. plurima C. de accuſat. & ibi communiter Scribentes. Bartol. in l. quemadmodum. §. illud. ff. ad l. Aquil. & in l. inficiando §. illud. ff. de furt. circa fin. Io. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de homicidio, ſuper Rubr. Bald. in l. quicunque C. de ſeruis fugiti. col. 1. in l. diuortio col. 2. ff. ſolut. matrimon. & in l. aduerſus, in fi. C. de furt. Anchara. conſ. 272. de titulis, &c. col. penult. Abb. & alij in c. 1. x. de pœn. Alberic. de Roſate in tracta. ſtatuto. in 2. parte quaſt. 29. quos refert & ſequitur Franciſcus Viuius opin. 760. incip. ſtatuta tria. Idem not. Ioſe. Ludouic. deciſ. Lucenſ. 61. incip. Andreas Siculus, num. 4. item not. Iul. Clarus. §. final. practi. criminal. quaſt. 84. verſ. alius eſt caſus, ponens pro communi*, addens præallegatam gloſ.
2 *l. qui de crimine* citari ad hoc ſolere, quod minora delicta confunduntur cum maiori, ita quod ſolum maius delictum puniatur, & Senatum Mediolanenſem anno 1556. ita ſeruaſſe in quodam Ioan. Baptiſtâ de Furnariis : qui cùm pilam ferream in aduerſarium ſuum proieciſſet, & deinde prior enſem euaginaſſet, Senatus cenſuit, eum non pluribus, ſed vnicâ tantum pœnâ plectendum eſſe. Habe pro ſingulariter dictis.

SIN-

SINGVLARE LXXXVI.

In quibus cessio bonorum locum non habet.

SVMMARIA.

Recensentur casus 21. in quibus bonis cedere non licet, & bonorum cessio effectum non sortitur, per totum.

Debitor fraudulentus non habens in are, luat in corpore. num. 1.

Facilitas veniæ non debet tribuere incentiuum delinquendi. num. 2.

Indignus est beneficio legis, qui in legem committit. Ibid.

Cessio bonorum est beneficium personale, & non prodest fideiussori. num. 4.

Mulieres regulariter pro debito ciuili pecuniario incarcerari non possunt. num. 5.

Bonorum cessio fuit inducta, ne debitores in carceribus marcescant. num. 6.

MVltis casibus cessat beneficium cessionis bonorum, quorum hîc aliquos referemus. Primò itaque qui facultates suas dolosè & in fraudem creditorum consumpsit, hoc beneficio non gaudet, iuxta vnam lecturam glos. *in l. fina. §. fina. ff. qui in fraud. credit or. l. etiam. 19. §. 1. ff. solut. matrimo. l. si rerũ amotarũ. 52. ff. de re indic. l. penult. ff. de iure dot. notat Iodoc. Damhouder. in praxi rer. ciuil. cap. 70. nu. 10. Frãcis.*

Viuius

Viuius decis. Regni Neapol. 529. incip. Petrinus de Mannutio num. 9. Anton. Gomez. ad l. Tauri. 79. num. 2.
2 Imò si debitor non habet quo soluat, debet luere in corpore. *l. quicunque 4. §. quod si ad prædictam C. de ser. fugiti. Socin. reg. 66. cedens bonis.* quia conuenitur ad pœnam.

Secundò, debitor fisci propter collectas non potest cedere bonis. *Aufrer. ad decis. Capell. Tholos. 28.* Neque etiam vasallus debitor antiquarum collectarum & iurium regalium. *Bald. in l. 1. post Cyn. in 3. quæst. C. de cessio. bono. Bart. in l. 1. ff. eod. tit. Matta. de Afflict. decis. Neapol. 265. num. 110. remittens se tamen ad Salicet. in d. l. 1. in vers. Sexto quaro & Dd. in §. fina. Instit. de action.*

Nota autem, vectigalium conductorem & sic debitorem patrimonij Principis, ratione dictæ conductionis ad cessionem bonorum fuisse admissum, & ita per Curiam supremam Aquensem iudicatum teste *Franc. de Claper. in sua Centuria causar. fiscal. causa 19. quæst. vn. qui tenet admittendum esse, & eum refert ac sequitur addit. ad Antoni. Tessaur. decis. Pedemont. 182. addens se credere eum bene dixisse.*

Item, quod debitor tributarius non debeat carcerari, per text. *l. nemo. 2. C. de exactor. tributor. lib. 10.* sed debet honestè sub custodiâ retineri, vt promptior ad soluendum reddatur, iuxta *Aufrer. ibi suprà.*

Tertiò, debitor cui dilatio quinquennalis ad soluendum data fuit, non obtinebit hoc beneficium iuris. *Socin. d. reg. 65. cedens bonis, glos. & Angel. in l. fina. C. qui bo. ceder. poss.* contrà tamen arresto Parisiensi pronunciatum 7. Maij 1585. *tradit additio. modernus ad Ioan. Papon libro 10. tit. 10. arre. 3. referens*

ferens aliud arrestum pronunciatum 18. *Martij* 1570. *ex Charond. en ses responses du droict François, libro* 5. *resp.* 16. quo tamen loci Charond. in meo libro præsentis materiæ nullam facit mentionem, sed prætacta duo arresta notat *en ses Memorables. verb. Cession, circà medium.*

Quartò, non fruitur cessione bonorum, qui bona sua non vult indicare. *gloss. l. penult. & ibid. Bald. ff. de cessio. bonor. gloss. in l.* 1. *C. qui bon. ced. poss. Aufrer. ad decis. Capell. Tholosa. quæst.* 28. *Io. Bessianus ad consuetud. Aluernia ad cap.* 20. *art.* 2. *circà medium.*

Quintò, cùm partem bonorum dolosè quis celauit. *Eman. Soarez in thesaur. recepta. sentent. verb. Cessio num.* 44.

Sextò, cùm debitum non fatetur. *l. penult. ff. de cessio. bonor.*

Septimò, cùm ob crimen à se commissum, quis condemnatus est in pœnam fisco applicandam. *Antoni. Tessaurus decis.* 181. *numero* 4. *vers. nec obstant.*

Octauò, non iuuabitur hoc beneficio legis, qui ob iniuriam alicui illatam in pecuniariam mulctam damnatus est. *Soarez d. verb. Cessio. Didac. Conuar. lib.* 2. *resolut. cap.* 1. *num.* 8.

Nonò, dic generaliter quòd cessio bonorum locum non habet in obligationibus ex crimine descendentibus. *l.* 1. *§. generaliter. ff. de pœn. gloss. in c. si res, verb. cruciatus.* 14. *quæst.* 6. *addit. ad Masuer. tit. de obligat. & renunciat. numero* 6. *ad verb. bonorum. Soarez ibi suprà numero* 45. *Alberic. in Rubr. C. qui bo. ced. poss. Iul. Clar. pract. criminal. §. ult. quæst.* 95. *vers. sed pono.* Idem in obligationibus descen-

descendentibus ex quasi delicto. *Socin. reg. 65. incip. cedens bonis.*

Tamen lector attende, condemnatum priuato ad certam summam pecuniæ pro interesse delicti, ad cessionem bonorum admittendum esse, prout in Senatu Pedemontano fuit decisum, teste *Antoni. Tessauro ibi suprà vbi de hoc per totam decis.* & aliàs idem Senatus censuit, vt ibidem additio. aliud iuris esset, si debitor loco pœnæ in certam summam priuato esset condemnatus, quia tum vtique cedere bonis non posset, iuxta tradita *Tessaur. loco prememorato, num. 7.*

Hæc nihilominus assertio & distinctio *Tessauri*, ob graues allegationes in contrarium atque præiudicia, quæ in additio. ibidem traduntur, multum redditur disputabilis, quare casu occurrente *ibi vide, & Couuar. quoque libro 2. resolut. d. cap. 1. numero 8.*

Decimò, non cedet bonis debitor qui ad factum aliquod, puta ad opus extruendum, est obligatus. *Iodoc. Damhouder. in praxi rer. ciuil. cap. 70. num. 11. Io. Bessian. ibi suprà.*

Vndecimò, qui sub spe cessionis bonorum contraxit. *arg. eorum quæ scribit Dynus in c. peccatum, de reg. iur. in 6. in fine. & ibi expresse addit. post Io. Pla. & per nota. Bartol. in l. 1. §. 1. ff. si quis testam. liber esse iuss. fuer. & dicta suprà singulari 6. circà fin.* Quia facilitas veniæ non debet tribuere incentiuum delinquẽdi. *c. est iniusta 14. quæst. 4.* & indignus est beneficio legis, qui in legem committit. *l. auxilium. 38. ff. de minor. 25. annis.*

Duodecimò, tutores debitores pecuniarum pupillariũ, bonis cedere non possunt. *Ludouic. Charõd. en ses*

en ses responses du droict François, libro 4. resp. 6. Idem en ses Memorables, verb. cesion, vbi dicit reliquatarium tutorem, ad cessionem bonorum faciendum contra suum quondam pupillum, non fuisse admissum, arresto Senatus Parisiensis in hoc enunciato 3. Septemb. 1566.

Decimò tertiò, idem est dicendum in receptoribus & administratoribus publicis, putà hospitalium & similibus, *Charond. d. lib. 4. resp. 6.*

Decimò quartò nota, quod cùm vxor ageret ad dotis restitutionem, ob impotentiam mariti ab eo separata, Curia Parisiensis bonorum cessionem per maritum fieri non permisit, *teste Charond. libro 13. resp.* 52. accedebant isto casu circumstantiæ, de quibus ibidem.

Decimò quintò, hæres dolo non conficiens inuentarium, non potest bonis cedere, *vt in Authent. de hæredibus & Falcid. §. sancimus. Bald. in l. 1. C. qui bon. ced. poss. vers. quæro an hæres. Socinus d. reg. 65. cedens bonis.* Malitiæ enim indulgendum non est. *l. in fundo.* 39. *§. constituimus al. censuimus. ff. de re vendic.* 3

Decimò sextò, non iuuat cessio bonorum debitorem, respectu creditorum quos post cessionem est sortitus. *Benedict. Vadius ad Socin. reg. 66. cedens bonis.*

Decimò septimò, non iuuat itidem intuitu creditorum non vocatorum expresse, vel saltem in genere. *Io. Bessian. d. loco.*

Decimò octauò, non iuuat obligatum ex latâ culpâ, vel quasi. *Bessia. ibi suprà.*

Decimò nonò, depositarius contra deponentem non audietur volẽs vti cessione bonorum. *Charond.*

P

rond. en ses Memorables, verb. Cession.

Vigesimò, fideiussor non liberatur per cessio-
4 nem bonorum debitoris, nec gaudet eius beneficio. Quia beneficium est planè personale, & ad alium non transit. *l. hæres à debitore.* 22. §. *quod si stipulator, in fine. ff. de fideiussor. ibidem Bartol. Bald. & communiter Dd. Anton. Gomez. ad l. Tauri 79. numero 2.*

Vigesimò primò, non habet locum cessio bono-
5 rum in mulieribus, quæ pro debito ciuili pecuniario, regulariter de iure carceribus mandari non possunt. *Authent. Hodie nouo iure C. de custodiâ reor.* quia ad euitandum tædium & squallorem carceris, beneficium cessionis fuit inductum. *l. 1. C. qui bon. ced. poss.*

6 Quare in casibus in quibus mulier posset incarcerari, forsitan ei competeret, vt inquit *Io. Bessianus loco antè allegato.*

Singularia sunt dicta positione secunda, tertia, duodecima, decima tertia, decima quinta, decima octaua, & decima nona.

SINGVLARE LXXXVII.

De necessaria sui defensione.

SVMMARIA.

Natura motu etiam bruta animantia se tuentur. numero 1.

De iure licita est sui defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ. num. 2.

Aggres-

DEfensio quæ fit ad necessariam sui suorúmve tuitionem & conseruationem, omni iure licita atque permissa est. Nam & natura bruta animantia edocuit aduersus se impetentes insurgere, 1

illorum conatibus obsistere, & armis etiam, quibus eadem natura illa instruxit, omnem iniuriam violentiamque propulsare. Sic de leone scribens *Virgilius 12. Æneidos in princ.*

——Pœnorum (inquit) *qualis in aruis*
Saucius ille graui venantum vulnere pectus,
Tum demum mouet arma leo, gaudetq́, comātes
excutiens ceruice toros, fixumq́, latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruēto.

Cætera animalia rostro, cornibus, pennis, vngulis, & quâ facultate potissimùm valent, se defendunt.

2 De iure ciuili licita est omnis defensio, quæ fit vti Dd. loquuntur, cùm moderamine inculpatæ tutelæ. Quare si inimicum me cum gladio inuadentem occidero, extra pœnam & noxam ero, cùm vim vi repellere liceat. *l. 1. §. cum arietes. ff. si quadrup. pauper. fecis. dicat. l. 1. ff. de vi & vi arma. l. vt vim. 3. ff. de iustit. & iure*, vbi dicitur: Nam iure hoc euenit, vt quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, iure fecisse existimetur. Et cùm inter homines cognationem quandam natura constituerit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse. *l. 1. C. vnde vi. c. significasti. 18. x. de homicid. Eman. Soarez in thesaur. receptar. sentent. verb. Homicidium. num. 121. Anton. Gomez. resolut. tom. 3. cap. 3. num. 20. Iul. Clarus §. Homicidium, num. 24. Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. ad l. Cornel. de sicar. definit. 5.* vbi tamen monet moribus Sabaudiæ receptum esse, quod etiam in huiusmodi casibus

bus literæ gratiæ à Principe impetrentur, & quòd pecuniaria aliqua pœna iuxta iudicantis arbitrium occisori irrogetur, ad preces pro defuncto offerendas; quæ non tam pœna, quàm pietatis quædam exhibitio est, nunquam defuncto ab occisore deneganda, iuxta eundem.

Imò licet mihi etiam vim necessariis meis illatam repellere, non minus quàm illam quæ mihi infertur. *l. 1. ff. de sicar. Angel. de Perus. inter tractatus diuersor. de test. fol. 67. num. 9. in quæstio. An frater possit esse testis in causa criminali fratris.* Namque amici etiam fratrum nomine sunt censendi. *l. nemo dubitat.* 58. *ff. de hæred. instit.* & sunt dimidium animæ sui amici, vt Lyricus poëta tradit *odarum libro* 1. *ode* 3. *& alibi scribens ad Mecœnatem ægrotantem,* 3

4

Ah te (inquit) *meæ si partem animæ rapit*
Maturior vis, quid moror alterâ,
Nec charus æquè, nec superstes
Integer? ille dies vtramq;
Ducet ruinam, &c.

Qua ratione, si ad necessariam tutelam amici, imò etiam extranei alicuius, qui nisi succurrissem, de vitâ omninò periclitabatur, aduersarium & inuasorem eius interfecero, iure hoc fecisse existimabor. *Panormita. c. si verò, de sentent. excommunic. & c. penult. de cleric. percusso. Francisc. Viuius opinio.* 190. *num.* 3. *dicens communem ex Iaso. in l. vt vim numero* 39. *ff. de iustit. & iure. Idem decis. Regni Neapol.* 197. *numero* 31. *& decis.* 439. *vers. incip. Tertiò.*

5 Quinimò pro rerum mearum defensione, non solum vulnerare potero eas volentem auferre, sed & si aliàs eas retinere non possim, occidere. not. *ad l. 1. C. vnde vi. Viuius d. decis. Reg. Neapol. 439. vers. incip. tertiò. Idem opin. 189. num. 1. per multas allegationes ponens communem secundùm Legistas. Eman. Soarez d. loco num. 122. Io. Bajardus ad Iul. Clar. d. §. Homicidium, num. 79. & ipse Clarus.* Bona enim dicuntur esse secundus sanguis hominis. gloss. *l. aduocati 14. verb. vitam C. de aduoc. diuers. iudic.* & vita hominis. *Præs. Euerard. cons. 30. num. 10. al. 15. & cons. 42. numero 7. al. 10. Andr. Tiraquell. tracta. de nobilitate, cap. 31. num. 349.* Vnde causa pecuniaria ardua & grauis æquiparatur criminali. *Hippolyt. de Marsil. in practic. criminal. §. expedita. num. 60. Io. Petr. Surd. decis. Mantua. 59. num. 4. Bald. in l. parentes C. de test. Iosep. Mascard. vol. 2. de probat. conclus. 739. incip. Faliti, num. 9.*

6 Amplia, vt etiam clericis liceat vim vi repellere ad res suas conseruandum, iuxtà *Feli. & Innocent, citatos per Io. Bajard. ibi supra.* Sed Follerius *in pract. crimina. canon. cap. 14. in verb. & reis admissis, num. 7.* singulariter dicit nullo modo licere clericis occidere rapientes aut furantes; benè tamen præter occisionem & percussionem licet defendere res proprias, cùm sit permissa modica percussio pro defensione rerum, *vt per Abba in c. significasti, de homicid. testatur Bajard. loco antè enunciato. Vide materiam plenè tractantem Leonard. Less. de iustit. & iure, lib. 2. cap. 9. per totum.*

7 Porrò & mulier, quæ pro tuitione suæ pudicitiæ, se rapere aut deflorare volentem peremit animo suprà sexum suum firmato, peccato aut pœnæ

non

non erit obnoxia. *D. Antoni. in sua summâ, in 2. parte c. 6. de stupr. in fi. Viuius d. opinio. 189. num. 6.* Quia pudicitiâ suâ nihil charius debet habere, nihil antiquius; quâ alioquin amissâ, contempta, spreta, imò nulla est mulier. Nam semel deperditam virginitatem ne Deus quidem potest restituere, vt ha- 8
betur in *c. si Paulus. 32. quæst. 2.* quæ dicitur esse so- 9
ror Angelorum, veluti in cœlo omnes erunt virgines, vel continentes, neque nubent, neque nubentur. *c. quod si 31. quæst. 1. glos. in c. nuptiæ. 32. quæst. 1.*

Similiter ius Pontificium corporis sui defensionem iustissimam esse censet, etiam cum alterius offensione & nece. Quare qui defensionis causâ 10
clericum violentum verberauit, non incidet in pœnam indictam *can. si quis suadente Diabolo. 17. quæst. 4. not. Scipio Ianuar. reg. 295. in 1. fallent. incip. verberans clericum. Dd. in c. cum voluntate, de sentent. excommun. notatur in tracta. regula. iuris Ciuil. & Pontific. verb. verberans, fol. 547.* Imò occidens clericum ag- 11
gressorem ad meram defensionem, irregularitatem non incurret. *clementi. si furiosus, & ibi Scribentes, de homicid. Viuius decis. Regni Neapol. 439. num. 28.*

Addam præmissis aliam doctrinam, & magnum 12
dictum, & identidem singulare in hac materiâ Adeò licitam, iustam, & æquam hanc propriæ tutelæ causam esse, vt si sacerdos Missæ officium celebrans, à profligato & perdito aliquo homine inuadatur, possit vtique facultate à iure sibi concessâ vti, & quamuis se defendendo illum interimat, poterit incontinenti ad altare redire sacrumque perficere. Dictum est *Io. de Ligna. in tracta. suo de bello, cuius meminit & sequitur Abb. in c. clerici, de vita & ho-*

nesta.clerico.scribit Hippolyt. de Marsil. in sua pract. crimina. §. quoniam. num. 75. Idem in l. 1. numero 28. & seq. ff. ad l. Cornel. de sicar. & cons. 4. numero 4. & 5. Io. Bajard. in addit. ad Iul. Clarum. §. Homicidium, num. 76. Petr. Peck. tracta. de Eccles. reparand. cap. 37. in fine.

Et quamuis Ecclesia, etiam sanctissimorum Martyrum sanguine conspersa, de iure Canonum reconciliari debeat, non propter martyrum passio-
13 nem, quæ Deo gratissima est, sed propter scelera persecutorum, quæ Deo displicent: tamen si in Ecclesia sacerdos aggressorem (vti dictum est) occiderit, reconciliari eam non oportebit. Quia non nisi iniuriosa sanguinis effusio Ecclesiam polluit. *c. vnico, iunctâ glos. in verb. sanguinis, de consecrat. Eccles. in 6.* qualis non est, quæ fit ad vitæ suæ defensionem, *per iam allegata*, notat pulchrè, & singulariter *Peckius d. cap. 37. in fine.*

SINGVLARE LXXXVIII.

Repræsentationis iuris insignis fallentia in casu factæ substitutionis.

QVod inter descendentes in infinitum obtineat ius repræsentationis, reiectâ contrariâ opinione, eleganter firmat *Anton. Gomez. resolut. tom. 1. cap. 1. numero 15. per Authent. in successione, vers. 1. C. de suis & legit. liber. §. item vetustas, vers. ita tamen, Instit.*

Instit. de hæred. quæ ab intesta. defer. & alia iura ac rationes. Idem tenet Io. Schneydewin. ad d. tit. Institut. vbi agit de ordine succedendi collateralium, numero 12. & 13. Inter collaterales tamen, hoc ius vsque ad filios fratrum est coarctatum, ita vt ad successionem fratris defuncti, fratres superstites & cum iis filij quoque fratrum vocentur; at post illos, alij in gradu proximiores, cessante omni repræsentatione. Vnde nepotes fratrum vnà cum filiis fratrum non succedunt, iuxta textum solennem *Authent. post fratres C. de legit. hæred. & ibi Dd. Guid. Papam cons. 155. per totum. Anton. Gomez. ad l. 8. Tauri, numero* 18. Hìc trado tibi dictum multum practicum & singulare, si quis plures liberos habens eos ex æquis partibus instituit hæredes, eosque inuicem substituit si sine liberis è viuis excedant, præmortuis quibusdam relictâ prole, postmodum vno sine liberis defuncto, ad fideicommissum solum fratrem admitti, qui eo tempore superuixit, præmortuorum verò liberos à successione penitus excludi. Nimirum hoc est quod dicitur, ius repræsentationis, quod locum habet cùm de patrui intestati hæreditate inter fratres fratrumq; filios disceptatur, in fideicommissi causâ locum non habere: itemque sic traditur, iura admittentia repræsentationem loqui & obtinere in successione, quæ prouenit ex dispositione legis, non verò in successione, quæ prouenit ex hominis dispositione, ita signanter *Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de fideicommiss. definit. 24. Anton. Gomez. ad l. Tauri 40. num. 41.*

SIN-

SINGVLARE LXXXIX.

De fideiussore emente rem obligatam in eandem causam, in quam ipse intercessit.

SI fideiussor emerit pignus obligatum in eandem causam, in quam ipse fideiussionem interposuit, de fide rupta tenetur: quia censetur quidem tacitè mandatum soluendi, & sic liberandi pignus habere, non autem emendi. Quare hoc casu rem cum fructibus reddere debebit, restitutâ sibi sorte cum vsuris per debitorem, text notab. & singularis in *l. 1. iuncta glos. C. de dolo malo.*

SINGVLARE XC.

De debitore fugitiuo aut de fugâ suspecto.

SVMMARIA.

Priuilegium Brabantorum in materia arresti. numero 1.

Debitor fugitiuus non gaudet beneficio priuilegiorum. Ibidem.

Potest

Poteſt capi per creditorem, etiam die feriato in honorem Dei, etiam per iudicem incompetentem. Ibidem.

Pietas & benignitas Principis in ſuos ſubditos, non debet trahi in compendium iniquitatis. numero 2.

1 A Carolo quarto Imperatore aliiſque Principibus incolis ducatus Brabantiæ fuit indultum, vnum Brabantum non poſſe alterum Brabantum aut res eius extra Brabantiam arreſtare. Hinc quæro, ſi debitor Brabantus ſit fugitiuus, vel de fugâ ſuſpectus, an extra patriam eius bona vel perſonam æquè arreſtare nòn liceat? Dic vtique licere. Quia ſingulariter receptum eſt, vt cōtra debitorem fugitiuum priuilegia ceſſent. Imò poteſt ille etiam per ipſum creditorem comprehendi, & die feriato etiam in honorem Dei introducto capi, Item poteſt comprehendi per iudicem incompetentem, iuxtà allegata per *Petrum Peckium*, *de iure ſiſtendi cap*. 8. *in fine*. 2 Deinde pietas & benignitas Principis in ſuos ſubditos, non debet trahi in compendium iniquitatis ipſorum. *l*. 2. *C. ſi minor ſe maior. dixer*. *l. ſi ſine voluntate*. 5. *C. ad S. C. Velleianum*.

SIN-

SINGVLARE XCI.

Bona maiorum.

SVMMARIA.

Interest nostrâ res maiorum penes nos remanere. numero 1.

Ius protomiseos sive gentilitij retractus, quare multorum locorum consuetudine inductum fuerit. numero 2.

Familiæ sine diuitiis sordescunt. num. 3.

Interest Reipubl. familiarum decus & splendorem conseruari. num. 4.

Simplex prohibitio alienandi sine causæ adiectione, non valet. num. 5.

Causam prohibitionis etiam tacitè colligi sufficit. numero 6.

Prohibitio alienandi arcem, quæ à maioribus fuit relicta, sine expressione causæ subsistit. num. 7.

Idem si prohibeatur alienare pupillus, Ecclesia, vel monasterium. num. 8.

Idem si prohibeatur res alienari in illum, qui testatori fuit inimicus. num. 9.

Cum vna tantum ratio dispositionis potest assignari, illa habetur pro enunciatâ. num. 7.

Minor in integrum restituitur aduersus alienationem rei auitæ, & quæ maiorum eius fuit. num. 10.

Statutum prohibens forensem emere vel acquirere, an obtineat in rebus, quæ aliquando fuerunt maiorum istius forensis. num. 11.

Inter-

INterest nostrâ priuatim, & etiam publicè, res 1
auitas & à maioribus paratas in familiis conseruari. Sic in *l. lex quæ Tutores*. 22. *C. de administrat. tutor*. Constantinus Imperator, *Nec vero, inquit, domum vendere liceat, in qua defecit pater, minor creuit, in quâ maiorum imagines aut non videre fixas, aut reuulsas videre satis est lugubre*, fuitq; hæc pręcipua ratio 2
inducendi ius protomiseos siue retractus gentilitij, quod laudabili cõsuetudine multis in locis receptũ est, veluti scribunt *Chassana. ad consuetud. Burgund. tit. des retraitz. §. 1. num. 1. Io. Schneydewin. in epitome in vsus feudor. parte 7. num. 78. Henric. Bognet. ad consuetud. comita. Burgund. tit. 13. des reachapts. §. 7. numero 1. & Iodoc. Damhouder. in praxi rer. ciuil. cap. 265. num. 2.* Retractio, *inquit*, consuetudinaria non minus iure diuino quàm humano ad fauorem ac conseruationem familiarum, est permissa. Scilicet vt familia, vt domus, atque nomina & tituli familiarum, per huiusmodi bonorum retentionem perdurarent in esse, sine quâ ipsa citò collabascerent, ac citrà omnem memoriam perirent. Sine diuitiis enim sordescunt familiæ. *l. quisquis*. 5. §. 1. *ibi, paupertate sordentibus, C. ad l. Iul. maiesta*. & deprimuntur. *c. si qui testium ibi, paupertate depressi, de test. not. Francisc. Mantica tracta. de coniectur. vltimar. voluntat. lib. 7. tit. 1. num.* 45. *Petrus Peckius de testam. coniug. libro 5. cap.* 12. atque adeò sic etiam interest Reipubl. bona in agnationibus remanere, vt decus ac splendor familiarum 4
conseruetur. text. *l. 1. §. penult. ff. de ventre inspic. Cachera. decis. Pedemonta. 169. num. 18. Dec. cons. 372. num. 5. Schneydewin. in d. epitome in vsus feudor. parte 6. tit. de successio. feud. ab intesta. num.* 11.

Quare

5 Quare receptum est, quamuis nuda prohibitio testatoris de non alienando, quæ scilicet est sine causa rationabili, non valeat, per textum *Iaso. & Dd. ibidem in l. filiusfamilias. 117. §. Diui. ff. de lega. 1. Anton. Gabriel. libro 4. commun. conclus. tit. de fideicommissis. 9. in princ. Io. Sichard. ad l. ab eo. 9. C. de fideicommis. numero 6.* certè hæc pro rationabili causa habetur, quia res est maiorum testatoris. *Andr. Tiraquell. de retract. consang. in præfat. nu-*
6 *mero* 39. Imò etsi hæc causa expressa non sit, sufficit eam colligi ex rei qualitate: vt si testator ali-
7 cui turrim vel arcem legauit & prohibuit eam alienari, quamuis causam non adiecerit, quare illam arcem vel turrim in alienam potestatem noluit transferri, tamen si fuerint eius maiorum, tanquam ad auitas singularem affectionem habere censetur. Illa affectio parit causam tacitam, quia præsumitur ob affectionem voluisse ne alienentur, & vt in familiâ maneāt. Ita plurimum notanter *Sichard. ad l. ab eo. numero 9. dicens omnes ferè Dd. eo loci & in d. §. Diui, sic tradere, & glos. in l. codicillis. §. instituto. ff. de leg.* 2. per istam etiam theoricam iuris, quod quandocumque in aliqua dispositione potest vna ratio assignari, tunc illa ratio habetur pro expressâ. *l. quamuis.* 15. *C. de fideicommiss. de qua theorica latius & vberius scribit Anton. Gabriel. libro 6. commun. conclus. 6. tit. de statutis. numero 2. & seqq.*

8 Et pro hoc facit, quod si lego pupillo, & prohibeo alienationem rei legatæ sine causæ appositione: illa elicitur ex qualitate personæ, quia in fauorem & gratiam legatarij prohibitio concepta est, qui est pupillus, & etiam aliàs non potest alie-

nare,

nare, nisi magnâ adhibitâ solennitate. *l. 2. C. de vsucap. pro empto*. Idem iuris est, si lego Ecclesiæ vel monasterio, & prohibeo alienationem rei legatæ, sine causæ expressione. *Ioan. Sichard. ibi suprà*.

Facit etiam, quod si ratione odij certæ perso- 9
næ, testator in illum fundum noluit alienari, causâ non expressâ, odij præsumetur, & prohibitio tenebit. *l. codicillis. 91. §. matre. ff. de lega. 2. l. cum ita legatum. 6. ff. de condit. & demonstrat. & ibi notant Scribentes.* Quia sufficit, quod causa rationabilis non enunciata, ex aliis induci & colligi possit. *Michael Graff. recepta. sententiar. libro secundo, art. officium hæredis, quæst. 21. num. 1. & 2. clarè & expressè Sichard. loco præallegato.*

Præterea iure receptum est, vt minor aduer- 10
sus alienationem rei, quæ maiorum eius fuit, in integrum restitutione iuuetur, alioquin in integrum non restituendus. *l. si in emptionem. 36. ff. de minor. quo in loco Accurs. in verb. maiorum eius*, ait, illud interesse, quod ex alienatione talis rei minor patitur, esse mirabile. Tradit idem *Andr. Tiraquell. de retract. consang. in præfat. numero 34. per allegationes Dd.* dicentium istum text. esse singularem & perpetuò menti tenendum, *not. Io. Mauric. in tracta. de restit. in integr. cap. 398. incip. vendiderat, num. 3. Elbert. Leonin. cons. 3. num. 5.*

Quamplures itidem iuris antecessores voluere, 11
forensem ex statuto emere vel acquirere prohibitum, tamen emere & acquirere posse ea, quæ maiorum suorum fuerunt, quos refert *Petr. Peckius de testam. coniug. lib. 4. cap. 44. in princ. Tiraquell. de retractu consang. §. primo, glos. 9. numero 162. 163.*
quod

quod dictum si tutum & verum esset, vtique summopere esset memoriâ consignandum, & hîc statuendum pro singulari, sed pars negatiua vera est, vt per *Peck. d. loco*, vbi de hoc doctissimè more suo agit, & fundamenta ac rationes quæ in contrarium facere videbantur soluit, per totum materiam explicans.

SINGVLARE XCII.

Non liberari debitorem, qui debitam à se pecuniam, per famulum suum bonæ existimationis existentem creditori misit, si cum pecuniâ famulus aufugit.

SVMMARIA.

Iustus est error fide dignis credere. num. 1.

A calumniâ excusatur syndicus comitatus, qui ad instigationem personarum fide dignarum accusauit. num. 2.

Tutor qui pecuniam pupillarem apud mercatorem pro idoneo habitum deposuit, non tenetur si is decoxit. num. 3.

Res minorum conseruari publicè interest. num. 4.

Res Domino suo perit. num. 5.

Debitor in quantitate vel genere, de quolibet casu tenetur, etiam fortuito. num. 6.

Genus perire non potest. numero 7.

Si

SI tibi centum debeo, & per seruum meum, qui probus ac fidus fuit existimatus, eadem tibi mitto, isque cum pecuniis aufugit, quæro cuius damno nummorum amissio cedet? Videtur, quòd creditor hanc iacturam pati debeat; quia iustus error est credere fide dignis, vt inquit *Bartol. in l. 1. col. 2. vers. vlterius procedo. ff. ad Turpil.* Hinc à calumniâ excusatur, qui instigantibus personis fide dignis, & quibus verisimiliter debet credere, accusauit, putà syndicus comitatus, qui ad aliorum instigationem maleficia denunciat, debet credere vel non credere instigantibus, secundùm personarum qualitatem, vt tradit *Andr. Tiraquell. de pœn. causa 51. numero duodecimo, per multas allegationes.* 1 2

Item, quia tutor pecuniam pupillarem deponens apud mercatorem, qui idoneus reputabatur, non tenetur si ille decoxerit. *l. si res pupillaris. 51. ff. de administra. tutor. Surd. de aliment. tit. 9. quæst. 40. numero 38. dicens Bartol. hoc prosequi in l. si soluturus. ff. de solut.* & tamen interest Reipubl. res minorum saluas iis esse, & magnâ cum prudentiâ administrari. *Ioan. Schneydewin. ad §. consequens. num. 2. Instit. de suspect. tutor. ergo. &c.* 3 4

Contrarium in hac facti specie respondendum: iacturam scilicet istorum nummorum, ad debitorem mittentem nummos per famulum, pertinere. Quia nimirum eorum dominus remanet, donec ad creditorem fuerint perlati. text. insignis *c. significante, & ibi Panormita. de pignor. Bart. in l. si procurator, de condict. sine caus.* & ius omne dictat, quod res domino suo & proprietario debeat

Q perire.

5 perire. *l. pignus 8. C. de pignoratit. actio.*

6 Accedit, debitorem in quantitate vel genere, de quolibet casu etiam fortuito teneri, quia genus
7 perire non potest. arg. text. *in l. incendium 11. cum materia C. si cert. peta. Paul. de Castr. in l. argentum. ff. commoda. & ibi Alex. in addit. ad Bart. Bald. & Salicet. in l. si is cui C. de furt. Ias. in l. 1. ff. de eo per quem fact. erit, quos refert & sequitur principale dictum firmando Anton. Gomez. resolut. tom. 2. cap. 7. num. 3. idem notat pro communi Eman. Soarez in thesaur. recepta. sentent. verb. furtum. num. 399. fac. dicta Petri Costal. in suis Aduersar. in ff. ad præfatam l. argentum. 20. ff. commodati.* & ista determinatio est pulchra ac singularis.

SINGVLARE XCIII.

Non temerè iuramentum exigendum, vel deferendum esse.

SVMMARIA.

Maius est damnum in vnius animæ amissione, quam mille corporum. num. 1.

Iurare non est peccatum, sed peierare. num. 2.

Clerici non sunt cogendi ad abiurandum suas concubinas. num. 3.

Communio gignit dissentionem & discordiam. num. 4.

Semel malus, semper præsumitur malus, in eodem genere delicti. Ibidem.

Abolitio

QVia nullius rei maiorem curam, quàm animarum haberi oportet, cùm sit maius damnum in vnius animæ amissione, quàm mille corporum. *c. si habes 24. quæst. 3. gloss. c. ille qui, verb. vincit. 22. quæst. 5.* etiam atque etiam est cauendum, ne temerè & non nisi ob legitimas causas, inspectaque & benè considerata iuraturi qualitate, iusiurandum præstetur. Nam in hanc sententiam D. Augustinus, cuius verba referuntur. *c. in nouo testamento. 22. quæst. 1. In nouo testamento*, inquit, *dictum est ne omnino iuremus, quod mihi quidem propterea dictum esse videtur, non quia iurare peccatum est, sed quia peierare immane* 1

2

peccatum est, à quo longè nos esse voluit, qui omninò ne iuremus commonuit.

Itaque prouidè ac religiosè sacri Canones causam inprimis deierationi subtrahere voluerunt.
3 Sic constitutum videmus, quòd superior Prælatus ad abiurandum concubinas clericos cogere non possit, sed quòd talium clericorum incontinentia, aliis canonicis modis, sit cohibenda ac refrænanda. *c. clericos, de cohabitat. clerico. & mulier.* quo etiam loci gloss. *in verb. redeuntes*, notat, non esse alicui iuramentum iniungendum, quod verisimiliter non sit obseruaturus.

Eodem modo in *c. ex tenore de sentent. excommunic.* dum Pontifex clerico qui in subdiaconum quendam violentas manus iniecerat, absolutionẽ criminis indulget, mediante iuramento, quòd exinde nulli clerico vim sit illaturus; sub istius iuramenti generalitate, complecti se non asserit clericum, qui fortè cum illo in eadem Ecclesia socius esse noscetur. Eò quòd ob assiduam conuersationem præsumitur (veluti ibidem gloss. subnectit) quòd facilius se sint offensuri, & à verbis ad factum ven-
4 turi, cùm communio soleat dissensionem & discordiam producere. *l. in re cõmuni. 25. ff. de seruit. vrban. prædio. l. cùm pater. 79. §. dulcissimis, de leg. 2. l. qui neque 8. in fin. ff. de reb. eor. qui sub tute. vel cura. sunt.* & aliàs, contra eum qui semel deliquit, præsumptio militat, quòd facilè delinquit eodem genere delicti. *c. semel malus, & ibi Scribentes, de reg. iur. in 6.*

5 Similiter ius ciuile posterius noluit mulieres, quibus legatum cum viduitatis indictione à marito relictum erat, grauari iuramento, quod ex l. Iulia

Iulia Miſcella antiquitus præſtabant; ſe nimirum, ſi poſt annum luctus ad ſecunda vota tranſirent contra defuncti voluntatem, ſolùm intentione & affectu ſobolis procreandæ id facturas. *Augeri etenim* (verba ſunt Imperat. Iuſtiniani *in l. 2. C. de indict. vidui. & l. Iul. Miſcella tollend.*) *magis noſtram Rempublicam, & multis hominibus legitime progenitis frequentari, quàm impiis periuriis affici volumus: cùm ſatis inhumanum videatur, per leges quæ periuria puniunt, viam periuriis aperiri.*

Quò pertinet doctrina Dd. qui tradidêre, quòd iuramentum probationum ſuppletorium non ſit deferendum ei, quem veriſimile eſt peieraturum, velut ruſtico, *Iacob. Menoch. libro ſecundo de arbitra. indic. caſu* 190. *numero* 16. vel fœneratori, *apoſtil. ad Afflict. deciſ. Neapol.* 36. *Socin. reg.* 252. *incip. Iuramentum in probationis ſupplementum defertur. verſ.* 44. *Ioſep. Maſcard. vol.* 1. *de probat. concluſ.* 957. *incip. Iuramentum in ſupplementum, numero* 67. niſi fœnerator ad meliorem frugem fuerit reuerſus, & deſierit exercere vſuras; *vt per Iacobum Menochium loco allegato, numero decimo quarto.* 6

Item non defertur prædictum iuramentum illi, qui ſemel iurauit falſum. *argum. c. non poteſt, in fine* 2. *quæſt.* 7. *Socin. d. reg.* 252. *verſ. fallit quadrageſimo ſexto*, de quo latiùs Afflict. *præallegata deciſ.* 36. loquens in caſu, quo periurus à ſacerdote fuit abſolutus, & ſatisfecit.

Hîc animaduertendum & benè notandum, quòd iudex vel alia perſona publica, quæ iuxtà ordinem iuris & ad inſtantiam partis ab 7

aliquo iuramentum exigit, non peccat, quamuis illum sciat periurio se obligaturum. Quia non videtur ipse exigere iuramentum, sed pars ad cuius instantiam & requisitionem exigit. *Bartolomæ. Socin. reg. 260. incip. iurare faciens, ex authoritate D. Thomæ 1. quæst. 2. artic. 4. notatur libro 9. regula. iuris Ciuil. & Pontific. verb. iurare faciens, fol. 763. Benedictus Vadus in addit. ad d. reg. Soci. se remittit ad Iaso. in l. ambiguitates, C. de indict. viduita. tollen. num. 5. & seq.*

8 At priuatus volens iurare, quem nouit falsum iuraturum, quia scit eum fecisse contra id quod iurabit, dicitur & profectò est peior homicidâ. Homicida enim corpus interficit, ille animam perimit, imò duas animas & eius qui iurat & suam, vt dicitur *in c. ille qui animam & seq. 22. quæst. 5. not. Francisc. Viuius decis. Reg. Neapol. 109. in fine. Petr. Peckius ad c. non est obligatorium, vers. amplia octaua, de reg. iur. in 6.* ista sunt dicta multùm memorabilia & singularia.

9 Item animaduertendum, grauissimorum sæpè malorum occasionem præbere illos legum & statutorum conditores, qui faciles sunt in iuramento iniungendo, & viam periuriis sternere. Quare rectè *Abb. in d. c. clericos, num. 2. de cohabitat. clerico.*
10 *& mulier.* docuit, statuendum esse ne scholastici iurent Rectori parere, quia facillimè officij ac pro-
11 missi religione abiectâ, periurium incurrunt. Idem dicendum in scholasticis Collegiorum, qui maiorum instituta seruare iurant, & tamen non obseruant. Præstaret enim, illa iuramenta remittere, cùm scimus illos probabiliter quotidie peierare, vt inquit *Iac. Menoch. lib. 2. de arbitrar. indic. casu 192.*

192. *num.* 4. addens: non dissimili ratione statuendum esse Papiæ ac in aliis Academiis, vbi Dd. scholasticos ad lauream promouentes, iurant illos esse eruditos & promotione dignos, cùm sæpenumerò sint ignari & imperiti. Ista identidem sunt dicta multùm notanda & excellentia.

SINGVLARE XCIIII.

Fideiussor tutelæ non præstat damnum, quod ob inimicitias cum tutore exercitas, pupillo contigit.

SVMMARIA.

Obligatio generalis non debet porrigi ad incogitata. numero 1.

Itemque in immensum non debet extendi, ne quidem iurata. num. 2.

QVamuis in omnem tutelæ causam quis fideiusserit, non tenebitur tamen damnum præstare, quod ob inimicitias cum tutore gestas, pupillus fortè incurrit: sed hoc nomine ipse tutor actione tutelæ iure conuenietur. Fideiussor enim de tali debito, quod non tam ex administratione, quàm ex debitoris personâ profectum est, tempore suæ obligationis non censetur cogitasse. Vnde ipsius 1
obligatio ac promissio, quantumlibet generalis,

 ad

ad incogitata non debet extendi. *l. 5. l. qui cum tutoribus. 9. §. vlt. ff. de transact.* ne alioquin in immensum quis obligetur, quod fieri iura non permittunt, nequidem in promissione iuratâ. *l. si libertus ita iurauerit. 30. ff. de oper. liberto.* Hoc singulariter chartis mandauit *Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de fideiussor. tutor. vel curator. definit. 3.*

SINGVLARE XCV.

Legatario an liceat in electione rerum legatarum variare.

SVMMARIA.

Factâ electione variare non licet. num. 1. & 3. in fine.
Unum ex beneficiis incompatibilibus eligens, censetur alterum repudiare. num. 2.
Dictio, dummodo, quid importet. num. 3.

RElinquit quis vxori vsumfructum suorum bonorum, si vitam vidualem seruauerit, & si secundas nuptias voluerit contrahere, dotem ac scuta centum. Vxor quæ ab initio statum vidualis cōditionis elegit, & aliquot annis vsumfructum percepit, mutato posteà consilio, conuolat ad secunda vota. Quæstionis est, an valeat consequi præmemoratum legatum dotis & scutorum centum à marito sibi relictum, an verò ob electionem antè à se factam, hoc legatum petere non possit? Dic petere

re non posse. Quia anteriori illâ electione per se 1
factà, postmodum variare ei non licet. *l. nemo potest mutare. 76. ff. de reg. iur.* pręcipuè in vltimâ voluntate. *l. huiusmodi. 86. §. Stichum. ff. de leg. 1.* & eligens vnum ex beneficiis incompatibilibus, cen- 2
setur alterum repudiare. *l. in delictis. 4. §. si detractà. ff. de noxal. act. l. quod in harede. 9. §. eligere. ff. de tributo. actio. ita tradit Ioan. Petr. Surd. tracta. de aliment. tit. 5. quast. 3 num. 38. & seq. Idem not. Bartol. in d. l. huiusmodi §. Stichum. ff. de lega. 1. Ias. in l. quicquid astringenda. col. 3. C. de codicil. Capic. decis. 119. numero 6. Ruin. cons. 166. num. 8. lib. 3. & alij quos recenset & sequitur Stephan. Gratia. in decisionibus Rota prouinciæ Marchia, decis. 168. incip. liberi tam primi. numero 13.*

Huc spectat, quod signanter olim scriptis tradidit *Borgnin. Caualcan. tracta. de vsufr. mulier. relict. numero mihi 117.* cuius verba operæ precium visum est referre. Fuit disputatum, inquit, in ciuitate Aretij coram eximio legum Doctore D. Camillo de Incontris, socero meo honorando, ibi officium Assessoris exercente, super dictione *Dummodo*, an importaret perpetuam viduitatem vel so- 3
lùm temporalem, sicut *donec* & *quousque*. Nam testator quidam Aretinus reliquit eius vxorem Dominam & vsufructuariam toto tempore vitæ suæ, dummodò vitam honestam, castam, & vidualem seruauerit: si verò transierit ad secunda vota, tunc eidem reliquit tantùm florenos ducentos, vltra dotes & lucra. Et fuit iudicatum per Rotam Florentinam, dictionem illam *dummodo* importare modum seu conditionem finalem, sicut importat dictio, si vitam vidualem seruauerit;

&

& consequẽter dictam vxorem, per trãsitum ad secundas nuptias, amisisse vsumfructũ, & obligatam fuisse restituere omne illud, quod percepit tẽpore viduitatis, propter modum seu conditionem & testatoris voluntatem non adimpletam: & scutos ducentos vltra dotes per talem transitum ad secundas nuptias petere non potuisse, postquam elegit à principio vitam vidualem & vsumfructum percepit, & certè (subiicit) rectè fuit iudicatum. Quæ est decisio magna, plurimùm practicabilis & singularis.

SINGVLARE XCVI.

Quomodo differat venditio fructuũ, qui ex fundo nascentur, & perceptionis fructuum ex fundo, itemque piscium capiendorum & iactus retis.

SI fructus quis vendat qui ex fundo nascentur, nullis natis nihil venditori debebitur. Nam hoc casu emptio non subsistit neque venditio, eo quod res deficit, quę est de contractus substantiâ: habentque huiusmodi venditiones tacitam conditionem, si fructus nascantur. *text. l. nec emptio. 8. ff. de contrah. empt. Costal. in Aduersariis in ff. ad eandem l. Andr. Gail libro 2. obseruat. 23. num.* 11. Idem dic si vendantur pisces qui capientur; nullis captis, nul-

la

la enim venditio contrahitur. *d. l. nec emptio, Costal. ibi suprà.*

At si quis vẽdat perceptionem fructuum ex fundo, talis contractus est purus, & censetur alea potius, quàm certa aliqua res empta. *Anton. Faber in suo C. Fabria. tit. de locatio. definit.* 26. Idem si quis emit iactum retis, nullis piscibus captis venditio tenebit. *d. l. nec emptio l. quod si in venditione* 10. *ff. de hæred. vel actio. vend. l. emptorem.* 12. *§. vlt. de act. empti*, quia emptio est meræ spei. Pono pro dictis apprimè memoriâ tenendis & singularibus.

SINGVLARE XCVII.

De infinito.

SVMMARIA.

Leges reprobare infinitatem. num. 1.

Pactum quod emptor sine temporis præfinitione, & in infinitum reuendere teneatur, non valet. numero 2.

Natura ipsa infinitum solet vitare. Ibidem.

Pacto de reuendendo toties quoties voluerit venditor præscribitur 30. *annis. num.* 4.

Præceptum patris, quod liberi permaneant in perpetua communione, non valet; secus si vt ad certum tempus non diuidant. num. 5.

Pactum de perpetua communione obseruanda, non subsistit, secus de temporali. num. 6.

Quid si iuramentum fuerit adiectum pacto de manendo in perpetua communione? num. 7.

Qui

Qui aliquem promisit repræsentare toties, quoties requisitus fuerit, num per binam præsentationem liberetur. num.8.

Clausula, si sine hæredibus decesserit, in testamento patris qui filium instituit & ita fideicommisso grauauit, de descendentibus filij intelligitur. numero 9.

Nomen hæredis positum in vltimâ voluntate in substitutione, non significat alios quàm descendentes, quamuis in contractibus & legibus, significet directo succedentes in vniuersum regulariter. numero 10.

Debitor promittens soluere cùm Sempronius ei satisfecerit, frustra conatur creditorem perpetuâ exceptione non habita satisfactionis, eludere. numero 11.

1 QVòd infinitatem leges reprobent, patet ex text. *l. vlt. C. de sacros. Eccles. l. fideicommissum.* 11. *§. si quis decem, de leg.* 3. *l. qui bona.* 13. *§. fina. ff. de*
2 *damn. infect. c. licet dilectus, de test.* Quocirca pactum, quod emptor sine temporis præfinitione & vsque in infinitum teneatur reuendere venditori, non valet, vti firmat *Bald. cons.* 303. *ad euidentiã, col.* 2. *vers. quæro vtrum, vol.* 1. *Francis. Viuius decis. Regni Neapol.* 231. *numero* 7. quia natura ipsa solet infinitum vitare, iuxta *Aristotel. libro primo de gener. anima. c.* 1.

3 Itemque, si dictum fuerit in venditione, rem redimi posse toties, quoties, vel quandocunque venditori placuerit, isti iuri redimendi triginta annis præscribetur. *Andr. Tiraquell. de retract. conuent. §.* 1. *glos.* 2. *num.* 7. *& seq. Masuer. in sua pract. forensi, tit.*

de

de emptio. & vendit. vers. item sæpè in venditione. Io. Papon lib. 12. tit. 3. arr. 35. & arrest. 11. atque ibi additionator modernus Io. Chenu. Idem not. Anton. Faber. in suo C. Fabria. tit. de præscriptio. 30. vel 40. annor. definit. 3. & tit. quæ sit longa consuetudo, definit. 1. quod obtinet & procedit etiamsi pactum esset iuratum, ac dictum expresse, vt venditor semper & non obstante quacunque præscriptione reemere possit, vti in specie voluit *Angel. cons. 55. Felin. in c. cum accessissent, num. 27. de constit. Ias. num. 10. Decius num. 7. Claud. Aquens. num. 5. & Curt. iun. in l. petens, num. 13. C. de pact. Dec. cons. 164. non fuisset propositi mei, col. fina. Boër. decis. 182. numero septimo, vbi asserit istam opinionem magis communem teste Viuio opinio. 579. incip. pactum de retrouendendo. Idem not. Eman. Soarez in thesauro commun. opinio. verb. præscript. num. 215. & seq.*

Tu vide Didac. Couuar. variar. resolut. libro primo capit. nono; Anton. Gabriel. libro 5. tit. de præscriptio. commun. conclus. 6. 4

Ob theoricam hîc in principio enunciatam, non valet præceptum patris, vt liberi in perpetuâ communione remaneant. *Dd. ad l. in hoc iudicium. 14. per illum text. ff. commun. diuidun. l. si conuenerit. 14. l. nulla. 71. ff. pro socio. l. fina. C. commun. diuid. Alex. cons. 3. lib. 3. Francis. Viuius opin. 460. incip. Legitima nullum grauamen, num. 2. Io. Dilectus de arte testan. tit. 8. caute. 8. in princ. Ludouic. Charond. en ses responses du droict François, lib. 5. respons. 43. ceste quæstion.* benè tamen potest cauere, ne intrà certum tempus liberi diuidant, *d. l. in hoc iudicium. Charond. loco antè signato. Dilect. præmemorata cautel. 8. num. 3.* 5

Item quamuis pactum, quod perpetuò quis remaneat 6

maneat in communione non valeat, tamen huiusmodi pactum fieri poterit ad vitam. *Anton. Tessaur. decis. Pedemonta.* 142. *num.* 5. & hoc etiam per testatorem caueri potest. *l.* 1. *ff. pro socio. Dilectus ibi suprà numero* 4.

7 Item non cogitur quis in perpetuâ comunione remanere, etiamsi ad hoc se iuramento astrinxerit. *Dd. in l. si non sortem.* §. *si centum. ff. de condict. indeb. Ripa in l. nemo potest, numero* 20. *ff. de leg.* 1. *& ita in terminis consuluit Rubeus cons.* 89. *numero* 8. *& seq. teste Viuio d. opinio.* 460. *num.* 2. quamuis contrarium velit *Dilect. sæpius iam memorata cautela* 8. *num.* 2. *& super hoc plenè scribit Anton. Tessaur. decis.* 142. *iunctis ibidem annotationibus per totum, quem casu occurrente vide.*

8 Huc spectat, quod aliqui Dd. censuere, eum qui promisit aliquem repræsentare toties quoties fuerit requisitus, liberari si bis præsentauerit, vt euitetur infinitas. *tenet inter alios Afflict. decis. Neapol.* 130. *num.* 6.

9 Ad propositam quoque materiam potest referri elegans & memorabilis facti species *l. ex facto.* 17. §. *fina. ff. ad S. C. Trebell.* cuius meminit *Præs. Euerardi cons.* 5. *vers. Tertiò & adhuc fortius*, vbi dicitur, Si testator filium instituerit hæredem eundemque grauârit, vt siue hærede decedens, hereditatem restituat Seio: mortuo filio sine liberis, non ad auunculum illi superstitem, sed ad substitutum bona hæreditaria pertinebunt. Nimirum attento, quod hæc verba, si sine hærede decesserit, debeant intelligi & interpretari, non secus ac si testator dixisset, si sine liberis decesserit; cùm fideicommissum alioquin nunquam locum habere posset, eò quod ratò vel

rò vel nunquam eueniat, quod quis decedat quin aliquem ab inteſtato hæredẽ relinquat, vel ſaltem fiſcum habeat loco hæredis. Et dixit *Guido Papa q. 457. poſt Speculato. in tit. de teſtibus. §. inprimis, verſ. fina.* nomen hæredis poſitum in vltimâ voluntate 10
in ſubſtitutione, non ſignificare alios quàm deſcendentes : licet in contractibus & legibus, ſignificet directo ſuccedentes in vniuerſum regulariter, & ita iudicatum *teſte Io. Papon lib. 17. tit. 3. arreſ. 5.* quod eſt ſingulare.

Quid verò dicemus de hoc caſu, cùm quis ſe ſoluturum promiſit ſtatim atq; à Sempronio ſuo debitore ſibi fuerit ſatisfactum, anne & iſta obligatio in infinitatem protrahetur, Sempronio debiti ſatisfactionem ſemper in vlterius tempus producente? In hac facti ſpecie Senatus Pariſienſis cenſuit, non conditionaliter inter partes cõtractum initum fuiſſe, ſed demonſtratiuè potius, ad ſignificandum vnde ſolui poſſit. Itaq; talis promiſſor arreſto eiuſdem Senatus, ad ſolutionem fuit condemnatus, dilatâ tamen in annum ſententiæ executione, pro quo arreſto eſt text. *in. l. quidam teſtamento. 99. ff. de leg. 1. l. Paulo Calimacho 27. §. fina. de lega. 2. l. Lucius Titius. 12. ff. de alim. & cibar. lega.* ſcripſit ſingulariter *Charond. lib. 9. de ſes reſponſes du droict François, reſponſ. 56. Idem en ſes Memorables, verb. condition, vltrà medium.* 11

SIN-

SINGVLARE XCVIII.

Excellens doctrina habilitat personam, aliàs inhabilem ex statuto.

SVMMARIVM.

Io. de Imola quamuis Bononiæ forensis esset, & ex statuto ad ordinariam lectionem non admittendus, ob summam tamen doctrinam, istam lectionem obtinuit.

OB eminentem scientiam hominis, licitum est iura transgredi, vti *per Bartol. in l. sed & reprobari. 7. ff. de excusat. tuto. & refert Hippolyt. de Marsil. ad l. vnius. 6. cogniturum; num. 79. ff. de quæstio.* quo loci admodum notanter subdit, Et ego aliàs dum eram scholaris Barbaciæ, audiui eum viuâ voce dicentem in cathedra; quòd aliàs propter illud dictum Bartoli, fuit positus hic Bononiæ *Do. Io. de Imola* ad lectionem ordinariam de manè, licet esset statutum hìc, quòd aliquis forensis non posset legere lectionem ordinariam de manè: attamen regimina & reformatores studij transgressi sunt illud statutum, propter eminentem scientiam ipsius *Do. Io. de Imola.* quod tene menti veluti singularem doctrinam, & adde traditis suprà Singula. 60.

SIN-

SINGVLARE XCIX.

Insolitum.

SVMMARIA.

Negocia noua & inusitata pro absente gerens, eius quidem conditionem meliorem, sed non deteriorem facit. num.1.

Promittens aliquem ducere per viam securam, & per inusitatam ducens, tenetur ad refusionem damni inde accepti. num.2.

Conductor tenetur, si equum fuste vel ligno impellens, deteriorauit aut occidit, non item si equum calcaribus percussit. num. 3.

Iudex extraordinariè punitur, qui malefactorem inusitato genere torturæ exanimauit. num.4.

Iudex in syndicatu tenetur, qui iuxtà magistri sui opinionē iudicauit, si ille magister solebat sequi opiniones insolitas & inauditas. num. 5.

In dolò esse censetur qui non rectâ viâ, sed per deuia incedit. num.6.

Clausula insolita contractui apposita fraudem arguit. num. 7.

Non nocet abundans cautela. Ibidem.

Rescriptum deuians ab antiquo stylo Cancellariæ, falsum præsumitur. num. 8.

Non credens his, quæ vera esse solent, habet contrà se præsumptionem. num.9.

Mandatum generale insolita non comprehendit. num. 10.

Si Princeps exactori suo mandet, quod omni coërtione debitores ad soluendum compellat, intelligitur velle, vt hoc modis vsitatis & iuxtà consuetudinem efficiat. Ibidem.

Mandatum habens ad inuestiendum, tenetur inuestituram concedere iuxta morem consuetum, & non aliter. num. 11.

Papa in rescripto non existimatur velle quod non est consuetum fieri, neque priuatus in sua dispositione. num. 12.

Si Papa clerico sæculari beneficium contulit, quod sæcularibus clericis conferri non solebat, gratia erit inanis, quamuis proprio motu concessa fuerit. Ibidem.

1 INsolitum quid agens, in culpa esse censetur, ideoque si negocium minus ex sententia succedat, tenetur. Hinc receptum est, vt si geram noua negocia absentis & ignorantis, quæ ille facere non solebat, lucrum quidem ad absentem pertinebit, sed damnum acceptum is agnoscere non debebit: eò quòd fui in culpâ noua & insolita negocia inchoando. *l. si negocia. 12. ff. de negoc. gest.*

2 Itemque si promisero aliquem per viam securam ducere, eumque per inusitatam duxero, ex quo in latrones & obsessores viarum incidit, rebusque suis fuit spoliatus, ad emendationem damni maneo obligatus. *l. cum proponas. 3. C. de nautic. fœnor. argum. l. si vt certo loco. 5. §. planè ff. commodati. Bartol. Socin. reg. 403. incip. promittens aliquem, vbi hoc dictum declarat. Andr. Gail* loquens in mulione, cui mercator merces aliò portandas aut vehendas tradidit. *libro 2. obs. 64. num. 12.*

Hinc

Hinc fit, vt conductor equi, qui fuste vel ligno 3
percussit equum vt incedat, ex quo deterioratus est equus vel extinctus, tenetur ad reparationem & satisfactionem domino faciendum; secus si equum calcaribus percussit, & sic instrumento solito & ad istum finem parato. *ita post Bartol. in l. 1. C. de cursu publ. lib. 12. per illum text. Io. de Ana. & Felin. à se allegatos tenet Hippolyt. de Marsil. ad l. de minore, numero 28. ff. de quæstio.*

Similiter iudex, qui vtitur nouo & inusitato ge- 4
nere torturæ, ex quo malefactor exanimatur & moritur, pœnâ extraordinariâ erit afficiendus. Quia perpendere oportuit illum, hoc euenire posse, ideoque non excedere nouitate tormenti; firmat latè *Hippolyt. d. loco, num.* 30.

Adde, quod quamuis iudex in syndicatu excu- 5
setur, qui secundùm opinionem magistri sui iudicauit: tamen hoc fallit si eius magister solitus fuisset sequi opiniones insolitas vel inauditas, quia tunc sequens talem opinionem, non excusaretur. *Hippolyt. de Marsil. ad. l. patre vel marito, num. 37. ff. de quæstio.*, præsumitur enim imperitia in eo, qui tenet opiniones insolitas, *iuxta eundem.*

Item fraus & dolus præsumitur in eo, qui præ- 6
ter consuetum quid agit. Sic præsumitur quis habuisse animum fraudandi statutum, qui non rectâ viâ, sed per deuia incedit. *l. 2. l. si quis per publicum. C. de curs. publ. lib.* 12. *l. qui fiscales.* 5. *C. de nanicular. & naucler. lib.* 11. *Præs. Euerard. cons.* 45. *numero* 4. *al. num.* 7. iter enim insolitum præsumptionem parit contra itinerantem. *Viuius decis. Regni Neapol.* 190. *nu.* 1. *Idem opinio.* 766. *num.* 18. *&* 19. *Elbert. Leoni. cons.* 23. *num.* 5.

7 Clausula quoque insolita contractui adiecta, argumentum fraudis inducit, vti notatur *in l. si quis sub conditione. 7. ff. de condit. instit. not. Ioseph. Mascard. vol. 3. de probat. conclus.* 816. *num.* 40. *Praes. Euerard. cons.* 19. *num.* 14. *al.* 17. *Viuius decis.* 182. *per tot.* & dicit *Petr. Peck. ad c. quod ob gratiam, numero 9. & 11. de reg. iur. in 6.* clausulam abundantem & cautiorem, si contractibus, vel actibus de se suspectis apponatur, tum fraudem magis arguere. Alioquin regulare est, quod abundans cautela non solet nocere. *l. non solet. 95. ff. de reg. iur.*

8 Imò rescriptum insolitum & deuians à stylo antiquo Cancellariae, falsum praesumitur, vti post *Felin. in c. 2. de rescript. Curt. senior. cons. 74. super memoratà col. 33. vers. Decimò redditur, tradit Iac. Menoch. lib. 5. praesumpt. 34. nu. 8. glos. & ibi Panormita. in c. causam, de test.*

9 Praetereà habet contra se praesumptionem, qui non credit his quae solent esse vera. *Iose. Mascard. vol. 3. conclus.* 1231. *incip. praesumptio vna, numero* 43.

10 Ratione praemissorum obserua, mandatum generale insolita non complecti. Itaque si Princeps proprio exactori mandet, vt compellat debitores ad soluendum, omni coërtione qua sibi videbitur, nihilominus exactor ille debebit seruare legẽ municipalem & consuetudinem in exigendo. *Bald. in l. 1. col. 2. C. si propter public. pensitat. Calcan. cons.* 120. *num.* 8. *Iac. Menoch. lib. 1. de arbitrar. iudic. quaest. 71. num.* 12.

11 Mandatum etiam generale comprehendit omnia, quae solita sunt fieri in similibus, at non alia. Quare tale mandatum habens ad inuestiendum, tenetur

netur duntaxat inuestituram concedere iuxta morem solitum, & non aliter. *Francisc. Viuius decis. Regni Neapolita. 339. incip. legitimatio sine causa, numero vigesimo octauo. Tiber. Decia.cons. 73. circa primam vol. 2.*

Denique & finaliter pono, quòd Papa etiam motu proprio rescribendo ac aliquid concedendo, non præsumitur tamen velle, id quod non est consuetum rescribi. Nam quamuis sit possibile, nemo hoc fieri velle præsumitur. *l. fideicommissa.* 11. §. *si seruo. ff. de leg.* 3. Quapropter si clericus sæcularis beneficium impetraret, non solitum conferri sæcularibus clericis, non valebit impetratio, etiamsi *motu proprio* Papa concesserit, scripsit singulariter & præclarè *Præs. Euerard. cons. 59. num. 6. al. 7. vbi habes allegationes.* 12

SINGVLARE C.

Priuilegium fœneratoribus concessum ad acquirendum res etiam furtiuas, non porrigi ad illas, quas norunt subtractas fuisse tempore traditionis.

SVMMARIA.

In contractibus lata, in testamentis latior, in rescriptis Principum latissima interpretatio est adhibenda. numero 1.

Omnis dispositio siue hominis siue legis ita debet intelligi, vt bonam fidem complectatur. numero secundo.

QVando Princeps vel Superiores fœneratorum mensę concesserunt, vt res etiam furtiuas possint acquirere, dubitatum fuit, an fœnerator sciens & exploratum habens rem furtiuam ad se delatam esse, vigore huius indulti, proprietarium rem repetentem possit repellere. Hoc videri primâ facie posset, quia præfatum indultum, generalibus terminis & sine alicuius limitationis adiectione conceptum, restrictione non deberet coërceri. arg. *l. de precio.* 10. *ff. de public. in rem actio. l. Præses prouinciæ.* 3. *ff. de offic. præs.* Deinde quia theoricam in-
1 signem habemus in iure, quòd in contractibus lata, in testamentis latior, in rescriptis & concessionibus Principum latissima interpretatio est adhibenda. *l. in testamentis.* 12. *iunctâ ibid. gloss. ff. de reg. iur. c. cum dilecti, in fin. de donat. & ibi Dd.*

Tene tamen contrariam opinionem, & ab eâ neque iudicando neque consulendo recedas: nempe huiusmodi casu, proprietarium rem furtiuam rectè repetere. Nam præmemoratum priuilegium exauditur, quatenus fœneratores res bonâ fide receperint, vitiumque furti ignorauerint, & non aliter.
2 Quia omnis siue hominis siue legis dispositio bonam fidem complectitur, neque vllo modo tam generaliter & largè accipi potest, vt per eam sustineatur, quod malâ fide gestum fuit, ita tradidit *Elbert. Leoni. cons.* 13. *numero* 4. *vers. & cùm maritus.* Imò cùm Princeps sit origo & fons omnis æquitatis atque iustitiæ, rectè hac ratione priuilegium ab eo concessum

conceſſum intelligitur, ne alioquin contractus malignè initi, ex eius authoritate aliquid roboris aut fomenti trahere videantur, contrà *text. in l. meminerint C. vnde vi.* Atque ita tandem præſenti ſcriptioni finem imponentes, cum hoc pulchro, practico, & ſingulari dicto, Singularium noſtrorum centiloquium claudimus, ad laudem & gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis, immaculatæque Deiparæ Virginis, patronæ noſtræ dulciſſimæ, ac dilectiſſimæ.

FINIS.

INDEX RERVM ET SENTENTIARVM

Quę in hoc tractatu continentur copiosissimus, alphabeticâ serię digestus & duobus numeris distinctus,

Quorum primus vnumquodque Singulare, secundus notas Arithmeticas marginales designat.

A.

re

B.

C.

Cæcus

D.

Si

E.

F.

Falsum.

G.

G.

H.

I.

Inuestitura.

L.

L.

Cùm

N.

O.

P.

ob

Q.

R.

Renun-

 è viuis

L.

L.

Lupus.

M.

Cùm

N.

O.

P.

ob

S.

Sub-

T.

V.

V.

Vxor.

FINIS.